

Primo quia ad te uado uenia. **Just** He uia
Deo Deo dno in dno fido. **Leti** emant
Dne in uirtute. **D**ni est te. **Exaltabo**
te dne. **Exaltare** dne iure. **Respo.**
Et passione suam qd dies quadraginta apparet

Handwritten musical notation (neumes) on red lines.

3

DESIDERII MULHUSATUM:
VIRI
MAGNIFICI, AMPLISSIMI, CONSULTISSI.
DOMINI

CHRISTOPH.

REINHARDI J. U. DOCTORIS, POETÆ
CORONATI CÆSAREI, SYNDICI ET CONSULIS &c.
Imperialis MOLHUSÆ meritissimi, &c.

ANNO


QVI MAGNIS PLURIMUM FATALIS

In vivis esse desiti, jussa parentalia,

Voces vicariâ

In Panegyri Procerum luctuosissimâ

M. JUSTI SCHIDÆI MULHUSINI.



Adeste vos MANES REINHARDI & audite!

Desiderium hoc, tanquam monumentum ve-
ræ pietatis, virtutis & meritorum CHRISTO-
PHORI REINHART J. U. Doctoris, Vatis,
in templo FAMÆ suspensum

&
AUGUSTO REINHART
Æternitatis Candidati Filio unico,
quondam & charissimo;

*Portionum hereditatis summa sine exemplo,
aut in exemplum expansum
esto!*

*Cui MARBURGI Gallorum est à
studijs p. t.*

à
M. Justo Schidæo.

Parentemus, ô boni, Parentemus!

Etenim vere-Parentem amissimus:

Quem autem?

CHRISTOPH.

REINHARDUM, JUR. UT. DOCTOREM
Eximium,

Imperialis Reipubl. hujus CONSULEM gravisimum,
SYNDICUM meritisimum,

Poëtam Laureatum Cæsareum excellentissimum;
Ecclesiarum & Scholarum PRÆSIDIUM,

GYMNASII FULCRUM,
CIVITATIS CAPUT & COLUMEN,

Priscæ & fugientis Virtutis, Doctrinæ & Humanitatis
EXEMPLUM

CURIAE SUE DECUS & ORNAMENTUM:
uno Verbo,

PATRIÆ - PATREM.

Quem quidem nuper,
Quùm exuvias ejus mortales Reqvietorio inferremus,
piè deflevimus, luximus.

Amplius tamen,

Quò ritè - litatus

Exseqvialis honos manibus sit Manibus æqvis,

Præstantissimus ac Litteratissimus VIR,
DN. M. JUSTUS SCHIDÆUS MULHUSINUS,
ut non ita pridem,

DOCT. GISLERO REINHARDO b. m.
Justa eadem persolvit;

ita nunc

ALTERI REINHARDO CONSULI & SYNDICO
NOSTRO,

*(Quem Ipsum tunc vivum ac presentem habuimus, nihil de
hoc tam celeri fato suspicantes,
ut est*

Nescia mens hominum fati, sortisq; futurae.)

ORATIONE LATINA

HONOREM

Supremum referet, dicetq; novissima verba :

Idq; in Acroaterio GYMNASIO novo, die Craffino,
qui secundus est Martij.

Ad quem Actum Lugubrem,

Ex omni Ordine,

Qui CONSULEM & SYNDICUM vivum amarunt;
mortuum lugent; amissum desiderant;
sepulti memoriam conservandam putant,
submissè, reverenter, amicè

invitat & vocat

M. GEORG. ANDREAS FABRICIUS POETA L. CÆS.
Gymnasiarcha.

P. P. MULHUSI Kalend. Mart. Anno
clō lōc XXX.

Siccinè

SICCINE AFFLICTA, COLLABESCENS,

SICCINE AFFLICTA, COLLABESCENS,
& tantum non prostrata MULHUSA everteris?
ô flos Patriæ! ô sedes Justitiæ! in qua haut ita pri-
dem aliquot nata ad æternitatem lumina vigeant,
in quâ tot eximia virtutum prostabant exempla, in
quam eadem, nunquam sine horrore & religione no-
minanda, suis nisibus & sudore errantem orbe Felicita-
tem, quod potuit, revocarant; nunc aliorum anheliti-
bus exposita, jugulum infelix ac cervicem hosti tuo pa-
riter & nostro præbes? Nunc tot Harpyijs objiceris,
quot patronos olim habebas! ô Patria! ô Divûm do-
mus! ô luminum istorum vulnus toto urbis pectore re-
ceptum! quorum ictu quoties confoderis? quorum
corpus pallescens tremescis, & hinc toties singultas?
Lacrymæ ubi estis? non vos compello vanas, quæ flu-
unt à Crocodilo, sed veras, quales à Jacobo, Josephum,
aut à viduâ Evangelicâ, suum lugente filium. Lacry-
mæ ubi estis? cum singultu & planctu miserabili erumpi-
te, cecidit nobis columna, heu cecidit, per quam stetit
foro justitia, literis decor, religioni nitor! Quando
fluetis lacrymæ, si hic stetis? Jurarim ego, si unquam
aut usquam fluitis, hinc impiè obrigescitis, dum ruunt ac
proruunt, fluunt ac diffluunt omnes omnium ordinum
infestæ ægri tudines & vicissitudines funestissimæ, quæ
chorum, forum ac thorum, lue nefanda, clade & tabe

afficiunt, verè inficiunt, dixerim quod res est, interficiunt, ita, ut quicquid seculo hoc dubio & turbido usquam boni est, pij & docti, id omne jam concidat, quodque mundi adhuc reliquum, sublimiorem mundum, ex mundo immundo avocet, & ad superum consortium transferat, inque illorum locum nil nisi labem & cladem, nil nisi mœrorem & tremorem ubivis gentium relinquat. Hasce inter mortes & clades publicas, hasce inter miseras funestas, si ulla est, quæ tristissimas humanarum rerum arguat Lernas, quæ miseras augeat & invehat miseras & miserandas, quæ luctum exacerbare & exasperare queat publicum, certò certius est Consulis nostri REINHARDI obitus, & ex hac vita abitus. O vanas MULHUSATUM spes! ô blanditias fallaces! ô ludibria infelicitis, vitæque miserrimæ, quæ cum in oculis in manibus habere arbitramur, cum iisdem perfrui nos posse diutissimè speramus; derepentè abeunt, excedunt, evadunt, erumpunt, & medio quasi felicitatis cursu nos deserunt inhiantes. In expeditione argonauticâ, cum multa fecissent, tulissent, sudassent, assissent, milites fortissimi, jamque superatis Hellepontis angustijs, Cyaneos scopulos trajecissent, Herculem amiserunt: hinc dolor & lacrymæ! cursum nihilominus susceptum continuantes ad Lycum regem passis perveniunt velis; à quo benignè suscepti, sparsis recreationum seminibus, præter opinionem in novam calamitatem prolabantur, & Idmona Vatem, Tiphymque rectorem navis, sapientissimum conqueruntur amissum. Bone DEUS, quæ tunc

...premit obsessos moles immensa dolorum!

Eadem

Eadem penè fortuna & nos turbulentissimis hisce tempestatibus exercet & enecat, vel eidem similima. Vix semestre completum est, cum Consulem nostrum **STEPHANUM HELMSTORF** pium, sapientem & vigilantissimum avara mors abripuit. Cujus quidem jacturæ magnitudinem meritò doluimus, deploravimus, & nobiscum luxit universa civitas: erat enim verè corona capitis nostri, in quam omnium animi defixi, à qua omnes tranquillitate ditari sperabamus, adeò auctoritate cæteros anteibat, quosque auxilio & consilio juvabat, beabat, sed heu abrepta! Vix respiraveramus, & ex mœrore paululum eluctati spe nixi firmissimâ, fore nimirum ut **GISLERUM REINHARDUM** Jur. Utr. Doct. tum Prætorem summum fidei & vitæ nostræ assertorem, Consulem verò salutarem, hujus enim ingenij vi, animique magnitudine regi nos, tutarique posse confidebamus: ast, ô fortunæ, si qua unquam dominatur rebus humanis, acerbitatem! ô fati, sed lamentabilis illius, cui omnia humana subduntur, inclementiam. Ecquos ex patriæ afflictissimæ amplexu nobis abripis? quam citò spem, vota & desideria nostra in irritò relinquis? Nunc si jacturam nos fecisse in **HELMSTORFFI**, in **GISLERI** Doctoris animabus magnam, rivis lacrymarum fluentibus prosequendam meritò, idque jure omni censuimus, quantam quæso factam esse putabimus, extincto viro incomparabili **CHRISTOPHORO REINHARDO** J.U.D. Syndico & Consule, unico post **DEUM** perfugio nostro?

Singul-

Singultibus annon omnium diffiliant oculi? lacrymis
annon genæ madeant? planctibus & gemitibus Cathe-
dra Ecclesiastica & Scholastica annon resonent? æter-
num frigida ô Curia subfella, si nunc non querulis voci-
bus fauce consistente, & mœrore incalueritis! Crebris
istis & verè fatalibus naviculæ nostræ Reip. motionibus,
mutationibus, & in pejus ruentibus molitionibus non
affici, non commoveri, non percelli, dirus sit Geta &
truncus! Cæterum vos ego mirari credo, Viri Magni-
fice, Reverendi, Amplissimi, Consultissimi, Proceres
REI-Christianæ & publicæ eximij; Clarissime, humanis-
simi, per-docti Gymnasiaci, mirari inquam vos credo,
quid sit, quod, cum tot sublimis loci atq; ordinis homi-
nes, inq; omni doctrinarum genere excellentes sedeant,
atque iidem, quos non rivulis suis asperferunt Scholæ,
sed fontibus perfuderunt Musæ, ego potissimum surre-
xerim, is, qui neque ætate, neque ingenio, multò minùs
autoritate sim cum ijs, qui confluxerunt, comparandus:
Idoneusné ego ex omnibus? minimè! at tantò officio-
sior quàm cæteri? nec hanc venor laudem, ut alijs eam
præreptam iverim. Quæ me igitur res præter cæte-
ros impulit? ut huc conscenderem, & laudationem
Consulis nostri instituerem? Dicam Auditores; terra
hæc, quo me primum excepit nascentem anno, illa in-
quam antiquissima & sanctissima parens, quæ omnes
omnium charitates complectitur, sydus isthoc, Syndi-
cum puto, omine, id quod eventus, morte Eheu! præ-
ventus, comprobavit, faustissimo eminus primum con-
spexit, adscivit: ut illius ortum jucundum hoc, ut poëta
loqui-

loquitur, solis lumen aspexi, hujus Syndici sub alarū um-
bra sensim me movere potui: hujus Syndici augmento
ad hanc, quantulamcunq; eruditionis famam, gratum
agnoscite, profluxi: hic præterea ante biennium, Sala-
nam cum valere juberem, Magistratus nostri benevo-
lentiam & beneficentiam in me, indignum fateor, deri-
vavit: hic me annum ultra liberali cura & sumptu su-
stentavit, meaq; fidei id, quod illi charissimum in orbe,
sed genere suo, filium indigeto, addixit, commisit, com-
mendavit: hic me indies scientiâ augere non destitit:
Cui animam meum fortuna majorem, cui corpus hoc,
ipsâ pro quo morte venale fuisset, cui me ipsum ac to-
tum debui semper, egone ejusdem honori tantillum
verborum non impenderem? ad unius horæ spacium
linguam & opellam qualemcunq; meam eidem non
gratificarer? Postquam autem hoc officium sanctum
humeris meis, Divâ sic flagitante Themide, impositum
persensi, statim animum profunda subiit cogitatio, qua-
nam ratione REINHARDUS noster sat dignè lau-
dari posset, reque altiùs expensâ, pro defuncti digni-
tate vix à Demosthene aut Pericle aliquo, qui omnem
ætatem in dicendi facultate consumpsit, ne dum à me,
cui aliis studiis minutioribus hæctenus districto Musis
hisce politioribus rarò aliquid litare licet, verba fieri
posse animadverti: Qui enim tot numero innumeris
felicioris naturæ dotibus divinitus constipatus, tot tan-
taque virtutis specimina toti patriæ exhibuit, annon is
eam virtutis suæ memoriam reliquit, quam nulla ullius
dicendi vis adæquare, multò minus superare possit?

B

Tan-

Tantum igitur abfuit, ut spontè profiliissem, ut à dicen-
do potius abstinere mihi planè imperasē, quàm, quod
ex voto assequi me non valere provideo, attentassem,
nisi & erga patronum meum pietas, agnatorum & su-
periorum voluntas, cui refragari auctoritatemq; defu-
gere mihi religio semper fuit, me movisset, hinc vobis
A, omnium ordinum excellentissimi negotium conflu-
endi facesso, me operâ insolentiore fatigo. Sed operâ
illâ pietatis potius quàm ostentationis, querelæ, quàm
eloquentiæ, doloris quàm ingenij partes in me suscipi-
ens, animus siquidem ob inopinatum hujus nostri obi-
tum perculsus, Musis & Apolline quid dignum meditari
vix patitur. Viro igitur incomparabili CHRISTOPHO-
RO REINHARDO J. U. Doctore, Poëtæ L. C. Syndico
& Consuli in præsentiarum parentare, publicaq; justa
persolvere, decretum & constitutum esto.

Verùm enimverò dum de viro hoc nobili me di-
cturum aggressus sum, nemo vestrum me ita confiden-
tem & projectæ audaciæ opinetur, ac si propositum
mihi sit, universa ejusdem Encomia, quæ tanta, ac pro-
pè infinita nostis, in hanc horam sive oratiunculam in-
cludere. Non ita vel me, vel Consulis, vel modestiæ
oblitus sum Auditores, quin ex immenso laudum cu-
mulo rubricas modò rerum & fastigia decerpam bre-
viter & delibabo. Quæ à magnis oratoribus facun-
diâ ac verborum lenocinio obtineri solent aures be-
nevolæ, quas plurimi dicentes præstolantur, Defuncti
nomen & celebritas suâ sponte præstabit.

Ego ex

Ego ex hâc Cathedra curiam conficio amplissimam: quemadmodum enim templa non parietes & signa, sed Deorum immortalium constituit præsentia: Sic hanc Cathedram non loci humilitas, sed animi excelsi & amplissimi curiam representet, qui hic versabitur, sublimitas. Vos Auditores vota colligite, fata plorate, fausta precamini.

CHRISTOPHORUM REINHARDUM, J. U. D. Poëtam Coronatum Cæsareum, Præticum celeberrimum, Syndicum meritissimum, Consulem gravissimum, Prætorij & in Dominis Senioribus assessorem primarium, Gymnasij inter cæteros fundatorem: Censuum publicorum & expensorum Ecclesiasticorum distributorem; Summum Cameræ præfectum: Legatum Liberæ & Imperialis hujus Magnificum: Cæsareæ Majestatis & Electoris Saxonæ Commissarium subdelegatum, nuper proh dolor! defunctum parentali honore affecturo in mentem venit illud, quod legitur apud Plutarchum, cum Sophista quidam magno appareret molimine recitare librû, & Antalcidæ percontanti, quod esset argumentum, respondisset, Herculis encomium; Ecquis, inquit, illum vituperat? Supervacaneum existimans, in eo laudando sumere operam, quem uno ore deprædicant omnes: idem mihi occini & ingeminari posse si suspicatus fuero, à vero haud aberravero: Sed laudes mortuorum oratione prosequi, nec novum, nec inusitatum cuiquam videri debet; cum ab aliquo ævo Pericles in Græcia legatur pro concione laudasse in bello Peloponnesiaco interfectos:

B 2

& in-

& incrementa sumsit, ea res Romana in Rep. ab initio valdè illustri: Cum enim Lucius Junius Brutus Consul, vindex ille Romanæ libertatis acerrimus, ducto adversus reges exercitu, in acie cum Arunte Superbi filio commortuus esset, à Publico Valerio Publicolâ collegâ suo pro concione primus laudatus est; adeoq; legibus XII. tabularum religiosè sancitum erat, ut honoratorum virorum laudes publicè decantarentur: Præsumptivum siquidem & malignum est, inquit Plinius in Epistola ad Ericium, non admirari hominem admiratione dignissimum. Quare ergò & meus Consul, quem illi ipsi Consules, quos ab omni memoria laudatos esse jam dixi, haud dubiè laudassent, pro suis virtutibus & meritis in Remp. eamq; Christianam: Quare quem ad exemplum laudum atq; æternitatem, nominis natura genuit, sine ulla commendatione elabatur? Consul quidem meus, si virtutes intueâre consulares, nulli veterum facile inferior, in eo tamen fortasse omnibus cesserit, quod nescio quâ fortunâ me potius, quam alium quemquam suarum virtutum præconem nactus sit, qui cum ijs, qui suos extulerunt, ne minima in parte quidem æquari debeam: Sed causas ex dictis cognoscere in proclivi est. Persarum rex potentissimus Xerxes, cum de sublimi loco fermè innumerabilem hominum multitudinem conspiciatus esset, in lacrymas erupisse legitur largissimas, eò quod centum annis elapsis, nullus istorum omnium, quos jam viventes videret, superstes futurus esset. Digna quidem hæc erat lacrymis materia, quippe fragilem vitæ humanæ conditionem ac lamentabile factum

tum ob oculos constituens. Verum, si hodiè talem cō-
scendere speculam possemus, ex qua, non dicam uni-
versum terrarum orbem, sed saltem nostram Germani-
cæ nationis patriam sub nostris quasi pedibus contem-
plari, & horrendas regnorum & Rerump. familiarum,
imò singularum ferè domuum concussionem, everfio-
nes & ruinas comminus intueri liceret; quid mirum, si
toti in lacrymas & singultus dissolveremur, diffuerem?
Sed quorsum in ipso orationis limine divagor? in me-
dio nostri A. videmus amplissimum, angustius dixerim
verius, Reip. nostræ corpus rimas agere, fatiscere, benè
constituta omnia in pejus ruere, & retro sublapsa refer-
ri, & quod dolendum, non solum Bellonam, sed & Ne-
cem in nostra proflire & sævire corpora, hinc

*Non mihi si centum lingue sint, oraꝝ centum
Infandos patriæ valeam memorare dolores!*

Hoc, hoc est A. quod REINHARDI Syndici & Consulis
nostri beatissimi obitus nobis lugendum & deplorandū
proponit! Cum Joabus Dux impius ac perfidus Abne-
rum ex insidijs confodisset, publicum luctum indicabat
David rex ministris & omnibus subditis, inquiens: an
ignoratis hodierno die principē & magnū in Israële ce-
cidisse virum? An & vos ignoratis, Mulhusini, extinctū
esse in Israële virū principem, ex præfulgido REINHAR-
DORUM sanguine satum, meritorum gloria & celebra-
te maximum? ô Mulhusium, Mulhusium, qualis jam es,
& quantū mutata ab illa, quam haut ita pridem triplici
decoratam tiarâ, triplici cinctam Justitiæ præsidium an-
nulo, triplici munitam scuto, triplici munitam præsidio,

tergemino vigentem alarum aquilinarum expansarum
remigio quam vidimus? Sed talem vidimus: vidimus
quoties dico, toties ingemiscite A. quia non amplius
videmus, quod vidimus. O Mulhusium Mulhusium,
quantilla mihi jam videris, quum videas fulcrum & facē
tuam, quam ante bienniū gavisā natā, denatam, trigam
tuam Sanctæ Justitiæ Sacerdotum, Jure Consultorum,
dico redimitorum, disruptam, disjectam, pessundatam,
animadvertas conjunctissimā, operosissimam, laudatis-
simam! Siccine ad monaden desolatam opinione ci-
tius redigeris, triplex illa Doctorum nostrorū corona?
redigeris. O Mulhusium, tu orientibus aliquando lu-
minaribus his intra muros tuos exaltata, ad arcticum
usq; fuisti, cadendibus iisdem, quomodo tu quæso sta-
re, nedum florere poteris? Quid addam P. C. plura
profari vix justum permittit cordolium quod Consul
mei obitus in ore, & corde meo excitat extorquendo
non exiguum! quis nunc, quis modus finisq; tam cha-
ri capitis elugendi esse possit, non invenio, non reperio.
Sed cohabeo furoris mei & amoris impetum. Unde
igitur in te celebrando, quo minus reprehensionem me-
rear, affectuumq; impotentium & compesci nescientium
crimen affugiam, REINHARDE clarissime, auspabor?
Dicam quæ relatu digna, sed aliquot solum, tibi à primā
ætate ad vitæ finem obtigerint, & quid in exemplum
omnibus nobis præstiteris, concisâ Minerva producam.
Ab initis igitur & ortu ut mea erumpat, suspirans dictio,
natus est REINHARDUS noster beatus anno ultimæ
DEI patientiæ supra sesquimillesimum sexagesimo se-
ptimo

ptimo 29. Martij. Annus tunc erat luctu & squalore
refertus, utpote, qui non solum Philippum Hassiæ
Landgravium, principem magnanimum & bellicæ rei
peritissimum, sustulerat, propugnatorem & custodem
religionis justitiæ & pudoris eripuerat, hinc dolor & la-
crymæ inibi parentium! Sed & Johannes Oldendor-
pius JCrus, vir acutissimi judicij, & in praxi dexteritatis
singularis Nemesis Sacerdos ter-Sanctus vix diem suum
obierat, & illico Natura, sed sola ista, quam naturantem
vocant Sophi, vacuum posterius isthoc replere, Parca-
rumque crudelitatem hujus nostri nativitate emollire
moliebatur, nec hinc spe sua frustrata Astræa, viderat
palmare decus & lucem suam occidere, viderat, & pul-
lis obvelata firmatis, angoribus involuta, gemuerat,
ast Ecce

Purpureum rapido REINHARDUM læta videbat.

tunc cursu grandientem, videbat, venerabatur & sibi-
met gratulabatur, natalesq; hujus luce candidiore re-
verti jubebat, idq; afflatu percussa Apollineo. Quod
si etiam vos, qui tunc in vivis eratis, terreni prælagâ
mente REINHARDI nostri divina dona prævidere
potuissetis, & dicto die lætabundi patriæ fausta quæq;
nunciavissetis, nil perperam egissetis: quia vero prævi-
dere vobis non licuit, saltem nunc eventu edocti REIN-
HARDI natalitiū ametis, honoretis: Salve itaq; vigesima
nona dies Martij! Salve dies nitida, bonis referte auspi-
cijs ave! Salve dies gaudij, serius licet cogniti! Salve &
filio Augusto & familiæ Reinhardinæ imo & Reipubl.
totiquè patriæ quotannis fausta felixquè redi!

Cum

Cum mores singulorum, ac ingenia pro patria plerumque censeantur, quo piaculo Imperialem hanc Mulhusam dissimulabimus, quæ gremio Syndicum nostrum **REINHARDUM** primum complexa est? Haut multum operæ hic est Athenis Athenas laudare, sic patriæ splendori aliquid nitoris aspergere, agitur supervacaneè. Transeat igitur hæc, loci namq; natalis splendor nascenti per se nihil prodest, si ipse eo splendore minus dignè vivat: Catilina & ipse Romanus erat, sed Romanæ & masculæ virtutis habebat parum, vel omnino nihil: plurimas Græcia produxit bardos & stolidos, quæ tamen omnium, humaniorum artium arx audiebat & officina. Philosophus ille placeat, qui cristas propterea apud Laërtium nemini erigendas dixit, quod magnæ & illustris urbis civis sit, sed quod eadem dignus se præstiterit. Si coram aliis dicerem, Mulhusini: quàm qui sunt virtutis avitæ germani Antisthites & propagines; Si alio tempore dicerem, quàm quo omnes invitamur potius ad lacrymas, quàm lautitias; deniq; si de re aliâ dicerem, quàm quæ est extremi doloris, publici stuporis; id agerem, ut artis quâdam pompâ magna & eximia parentum, avorum, atavorum serie Beati **REINHARDI** nostri stipatus, in aures vestras influerem, & defuncto nostro Consuli ex Majoribus suis laudem, (neq; id suo modo ac modulo inutiliter) emendicaret, sed in horum virtutibus & meritis nolo nunc operam ponere, infelicisq; eloquentiæ lenocinium ad ambitionem, vel mei vel Consulis transferre. Tua namq; **REINHARDE** clarissime, familia, sicut
Senato-

Senatorum & Consulum mater perantiqua est, ita dignitatem generis tibi reliquit, fastigiumq; sanctius hactenus conservavit. Sed sicut hic alijs id maximè propositum est, ut quàm plurima dicant; ita nobis, ut aliquid prætermittamus. Generis tui splendorem, ejusdemq; in Remp. nostram merita, per annos trecentos continuâ serie diffusa, loquuntur annales & album nostrum Senatorum, crepant increpantem rusticos seditiosos proavum Georgium anno adhinc centesimo quinto & vigesimo Consulem, mirantur avum Andre- am Senatorem gravissimum; Verùm quod, ut à te alienum non est, ita tamen est aliorum, primum in laudibus tuis ponere, nefas putetur. Nam si nihil præter dignitatem & præeminètiã generis de te proferre possemus, miseratione potius, quàm cujusquam admiratione dignus esses Reinharde! ut enim Priamos & Hecubas nemo siccis in Scena aspicit oculis, nequè aliud quàm gemitum spectanti aut dolorem exprimunt, ita & tua reliquis virtutibus sine si foret, deploraretur eminentia, vel contempta jaceret. Jam si propius accesserimus horizontem, unde lux nostra emergeris, deprehendimus, quanquam tunc lusisse fortunam, more nempe suo, & ineptivisse, dum prognatus fuisti patre Valentino Reinhardi/ cive honoratissimo, artifice in auro elaborando, peritissimo, matre BARBARA, ex nobili Molsdorffiadum stirpe fata. Sed si rem paulo pressius voverimus pensitare & pensiculare, non minorem certè, sed maximam laudem tibi assignandam esse, reperiemus, & extorquente veritate asseremus, qui proprio ni-

C

tebas

tebas honore, propria vigebas virtute, qui tuis rebus
laudabiliter gestis florebas, magis magisque inclaresce-
bas. Virtus enim propria & propria est laus. Quid
enim, ut Poëta canit, imaginibus quid avitis

----- *----- fulta triumphis?*

Atria quid pleni numerosa Consule fasti

Profuerint, si vita labat? peris omnis in illo

Gentis bonos, cuius laus est in origine sola.

Religio igitur sit, REINHARDE, laudes tuas à Majoribus tuis deducere, quas non accepisti ab alijs, sed in gentem tuam maximè intulisti.

Vetus est, & nî fallor, Augustini: In hoc præsentī tempore non sunt, nisi hæc tria, Nasci, laborare, mori. Ad hoc viri sancti pronunciatum, tanquam ad obrusam, ut Cicero loquitur, exigemus Consulem nostrum, & cum nascentem viderimus, laborantem & morientem in hoc tumultuariō theatro spectatum conscendemus.

Habent profecto omnia præclara ingenia eam in se vim repositam, ut neq; semina & vires suas occultare in minimarum rerum tractationibus lusibusq; possint. Cujus quidem rei regia illa Cyri indoles documentum præbet clarissimū, quæ inter puerilis arūdinis equitationem latitare nō potuit: testantur id Achillis adhuc pueri anhelitus affectati, de quib⁹ canit Pindarus Nemcorū *Strophæ 3. bymni tertij*. Haut dispar mihi videtur indoles ingenij & naturæ generosa, quæ è nostro CHRISTOPHORO admodū tunc puero emicuit, inq; nostri adolescētis primis tyrocinijs, pædagogicisq; studijs apparuit, libros & quam-

quamcunq; literariam suppellectilem solùm solùm vel in mortis usq; horam adamavit, nullamq; domus partem chariorem habuit, sæpiusq; perreptavit, atq; eam, quam penitiorẽ à strepitu alijsq; quibusvis impedimentis tutiorem, remotioremve, (quam multoties nõ sine delectatione ab illo commemorari memini) pro suo sibi Musæo, patre hinc gaudente & sibi met gratulante, delegit, in qua scribendo, legendo, ediscendo & suo modo, prout tum ætas, ætatem vel suprâ ferebat, commentando se oblectavit. Quæ enim ætate alij felices suos existimant, mirantur, & solos, qui Phyllida habeant, dignos opinantur, si rudimentorum tantummodo aliquem gustum consequuti fuerint, ea noster jam longè ultrâ apice, quod dicitur, egressus, ad fastigia majora ferebatur, usq; adeò verum est illud Tullianũ, quo affirmat, sæpius ad laudem atq; virtutem naturam sine doctrinâ, quàm sine naturâ valuisse doctrinam. Accedebat ad hanc indolem cælitus impressam institutio præceptorum fidelissimorum, imprimis autem viri clarissimi Domini DONATI Magni Rectoris & M. BENJAMIN Starck Conrectoris, jam Superintendentis emeriti: adjuncta igitur Semina illa donorum divinorum in eo gradum sublimiorem latentia & quasi vivificata curâ modo dictorum Præceptorum, qua pietatem, quâ quorumvis scientiam, tandem incrementa laudabilia acceperunt, ut in culmos progressu temporis exigui excreverint, & fructus multiplices, de quibus mox verba faciemus, protulerint.

Et jam REINHARDUS noster annos transegerat quatuordecim, cum contagia pestis undique manarent, adeoque in Parentum nostri limites & penates penetrarēt, & CHRISTOPHORUM hunc ex suavissimo patris aspectu, violentiā Parcarum in illū, ex mellitissimo matris amplexu, virulentiā morbi in quosvis abriperent, protruderent, quanto cum Beati REINHARDI nostri cordolio & mœrore facilè æstimabunt, qui vel ipsi experti sunt, vel audiverunt ab alijs, quàm funestum sit & acerbum, divelli eos, qui sibi invicem sunt baculus & solatium, quàm infaustum & durum sit, liberos, rupto storgarum vinculo abstrahi & orbari eo, in quo post DEUM omnis felicitas & salus ipsorum est, posita & fulcita. ô miseram & miserandam vitæ humanæ sortem, ubi omnia ex lætitia & voluptate ad dolorem & angorem casu ruebant præcipiti, recidebant! ô spes REINHARDI nostri inanes & fallaces, quæ in ipso partu obruebantur, antequam portum aspicere exoptatum poterant! Procelloso hujusmodi angoris cum vitæ periculo conjunctissimi turbine disiectus, naufragus annō perijsse sibi quisque nostrūm videretur, sed hic noster ex anxietatis turbine, & periculi timore quadantenus eluctatus, dum à Poëta nostro, cujus memoria in *εὐλογία*, Mulhusinorum de loco mutando admonitus, susceptus, & tantisper dum turbulentiores hi & tristiores dies præterijsent, in sinu fatus, à peste servatus. Hic CHRISTOPHORUS filius matri suæ Barbaræ natus erat maximus, erat omnia qui expectationem magni viri sustinebat, à quo omnes propinqui, à quo Respubl. à quo Ecclesia ipsa aliquando

do amari, sublevari, augeri protegiq; debebant. Hoc inquam preciosissimum Fortunæ diviniore depositum & Patris morituri legatum, mater, tanquam legitimam suam sollicitè asservabat, & veluti oculum, quem quis habet unicū, in spem boni publici protegebat, sumptibus parcendo nullis, provehebat: Et jam REINHARDUS noster pietatis & artium, quas dicendi appellamus, fundamenta indefessâ exercitatione laudabiliter jecerat, adeò ut præceptoribus admirationem, parenti superstiti gaudia, commilitonibus exemplum, omnibus spè de se ingentem & præclarissimam moveret, conciliaret, exhiberet, concitaret. Quod Rudolphus Agricola Frisius, Latine recuperator, artium instaurator de Erasmo Roterodamo, adhuc puero & in Schola Daventriensi bonis literis diligentem navante operam, cum illius in utraq; linguâ Scholasticos progressus animadvertisset, vatem egisse fertur: idem tunc temporis Aquila Pegasusve noster, quem supra dixi HELMBOLDUS vaticinium de REINHARDO nostro puero pronunciasse memoratur: Maeste, dixit, juvenis avito, maeste magno ingenio, Magnus olim eris. Agricolam vox sua de Erasmo non fefellit. Magnus profectò ille studiorum gloria evasit, ut quod alij sudore præliante, bellicisque anhelitibus meruerant, cum Magnorum cognomina adipiscerentur, id ille cognomen raritate eruditionis, tanquam ingenij trophæum deportaverit. Nec sanè REINHARDUS noster Vatis Helmboldi unquam deseruit de se opinionem præclarissimam, in primâ siquidè incude disciplinarum positus, vota prævertebat omnium.

Quæritis autem quibus studijs atq; artibus primam illā
ætatem suam potius consecravit? non poterat sum-
mum ingenium nisi viros summos imitari. Ciceronem,
Romanæ Sapientiæ voraginem REINHARDUS noster
confirmantem inaudierat Consulem gravissimum non
inter lyras, non inter barbytos, non inter Musarum te-
studines, nec inter Liberi (ut Plauti illo utar) flores;
verum in amplissimo foro, in publico judicio, coram
prælustri Prætorè, cum rem omnium severissimam pro
Archia ageret, Pœseos divina & cœlestia pronuncia-
visse studia, & cum meditationes suas ex profundiore
virtute scaturire, à diviniore penetrati proficisci sermo-
nem, sibi ignaro etiam & invito sæpè melos Musarum
erumpere deprehenderat, primis annis Poëticam cum
alijs studijs degustavit, cujus sic singulos perreptavit ex-
pressit lepores, ut egisse hoc unum peritissimi vel fide
suâ hætenus dejerassent: Testes sunt libelli illi, quibus
suavitatis, elegantia, ardoris plenissimis partim factis,
partim in Bibliothecâ reservatis etiamnum fruimur!
Tu ipse testis nobis Poëtarum non ultima Gloria
Gymnasiarche FABRICI, (quo cum toties differuisti
de iisdem, quem semper admiratus & veneratus es,)
sufficiëntissimus! Hoc enim omnibus animis generosis
& cœlesti aliquo spiritu impetuq; imbutis inditum est,
ut tanquam sibi affinem & cognatam hanc artem am-
ent & anhelent, cum nominis sui perpetuitatem non
tam in Colossis ac marmoribus consistere posse, quàm
Carminis celebritate conservari intelligant. Instinctu
quo facile divinor fixum erat, REINHARDO nostro,
omne

omne ingenium, quo ipsemet ante annos pollebat, omne acumen, quantacumq; indole ac natura sit torpescere, & propemodum intermori domesticis angustijs, ideoq; expansus non renitente matre, non reprimente Mæcenate Poëta, in campum apertiozem proruebat, & culturâ uberiore gaudens in Academiam Lyceumque Lipsense prorumpebat primum, idq; anno supra Sesquimillesimum octuagesimo quarto.

Nondum REINHARDUS noster Nervæ filij lanuginem adeptus erat, quem, quod septendecim annorum publicè de jure responsitârît, Romana civitas, omnisq; posteritas tantoperè mirata fuit, cum in Philosophorum Gymnasijs subtilissimas quæstiones in publica disputandi acie ventilaret, respondendo, sæpius opponendo fortiter ac feliciter defenderet: hinc stupor Auditorum, intentiq; ora tenebant: ô te juvenem, CHRISTOPHORE REINHART non humanum, sed divinum, quæ tandem admiratione complectar? aut quâ de te summam admirationem cogitatione concludam? Si de te juvene jam dicendo hæreo, quâ voce te virum prædicando sufficiam? Imprimis autem eam Philosophiæ partem de moribus & civitate quæ differit, peculiari quasi necessitudine sibi devinxit, quam virtutum omnium parentem atque nutricem à Socrate laudatam cultamque noverat, quamque Jureconsulto futuro præcipuè in manibus habendam, dudum sibi persuaserat.

Hæc remigia, hæc alæ erant, quibus ad majora illa, illius scientiæ, quæ ad cives, populos, reges, univer-

universum denique humanum genus defendendum & juvandum tradita est divinitus, cacumina evolare annitebatur, nec unquam temporis vel laboris jacturam se fecisse doluit, studijs humanioribus quem tribuerat, utpote, qui juris scientiam non tam à prætoris edicto aut XII. tabulis, quàm ex intimâ hauriendam Philosophia, & ab hominis repetendam natura esse, apud Ciceronē legerat: noverat suppeditare, antiquitatis, reminiscen-
tiam, genuinum possessionum, interdictorum, stipulationum, Nexorum, Testamentorum, & quorum non? intellectum: Q. Scævola non modo fuisse inter JCtos juris scientissimum, sed etiam inter oratores eloquentissimum, eodem modo de Servo Sulpitio judicabat, idemque sibi faciendum censebat. Minerva interim prona & propitia, ut cui cum abundè cætera, quæ à fortuna dispensantur è patrimonio prodibant, matrisque subsidijs, tum imprimis corpus vegetum, vultus liberalis, forma regia, & qui huic præsidebat altus, præclarusq; animus contigerat

----- quem non si cætera desine

Hæc movere solent -----

REINHARDO individua comes, successus in literis felicissimos promittebat, ipsumq; per triennium cum Lipsiæ substitisset, VVittebergam, post Helmstadium invitabat, & lætis gratulationibus nomine Horstii, Borcholdi JCtissimorum excipiebat, ubique magnos, ubique eximios illi viros conciliabat, ut Syndicum nostrum, cum in tumidum, procellosum & vastissimum Juris Oceanum, ad avita quasi sibi quæ

quæ tacito naturæ instinctu, tanquam divino stimulo
dudum selegerat, ad quæ collimabat, potissimos cogi-
tatus & actus suos dirigebat, studia appulisset, omnes,
quem vix ora solvisse prima putarunt, brevissimo tem-
poris intervallo jam ad vadum & portum contendisse
spectarent, quem vix e carceribus emissum, non procul
à metâ mirarentur: Nec mirum! cogitabat namque
non Atheniensium illud μέγιστον πνεῦμα sufficere, magna an-
helare, verum ad res arduas aspiranti magna esse conan-
da, magna agenda: In lucta cessare Herculem, Milo-
nem in palæstra dormire, in urbe otiosum esse Aristi-
dem, turpe putamus omnes, per integrum non inter-
ruptâ serie decennium in Academijs permanere, nec
conari, nec operari indignum se statuebat REINHAR-
DUS noster: Labore, quem Euripides gloriæ parentem
dixit, quo de Sophocles intelligebat, cum ajeret, labo-
rare eum opus est, qui fortunam habere arridentem cu-
pit, nutritus fuit & accrementa sumpsit idem. Attigit
oratio mea tempus illud, quo arbor isthæc secundo
profata surculo, solo fertili atq; feraci insita, & præce-
ptorum ceu agricolarum studio culta rigataq; fideliter,
non pulchra modo, aspectuq; jucunda, sed etiam frugi-
fera esse cæpit. Utinam REINHARDE amplissime! Sed

Tu Carthago mihi es, de qua siluisse putatur

Laus major, quàm pauca loqui

Utinam, reitero, quem in Academijs, quem coram sum-
mis tribunalibus, quem in Curia, Cancellis, Legationi-
bus, quem in subsellijs longis de præstiteris solido me-
tallo inscribere liceret! Sed optare saltem conceditur.

D

Cum

Cum jam ultra quinquennium, cujus spacio juris addi-
scendi tramitem concludant DD. sese plurimum in a-
renâ tum publicâ, tum privatâ velitando exercuisset, &
Candidati agnomen dignissimi apud omnes promeru-
isset, prodire ipse in medium Athletarum circum, & col-
legia suis auspicijs & præsijs aperire, neq; solum am-
plius discere, sed & alios docere, progressusq; eruditio-
nis suæ probatos alijs facere Helmstadi constituebat, &
summo cum applausu Juridicæ Facultatis Professorum,
summo cum emolumento auditorum, qui de tali viro
sapissimè sibi congratulabantur, eandem absolvebat.
Et jam honora manus Sacerdotis hujus Jurium in Aca-
demia undequaquè expansa prominebat, jam virtutes
REINHARDI instar cœlestium Plei^{adum} in meridia-
no Juliano scintillabant, & Ecce! nescio cujus voto sed
fato ἀφ' αὐτῶ Helmstadio relictâ, Lipsiam repetijt, quanto
cum Professorum, quanto cum nobilium & aliorum
studiosorū desiderio restantur Musica, flabra, devota,
quibus CHRISTOPHORI REINHARDI J. U.
Candidati abitionem benevolentia & observantia mo-
nitu profecuti sunt, Proceres Juliani & studentes, quæ
typis etiamnum excusa prostant. Jam REINHARDI
nostri eruditio solidissima, & in rebus agendis solertia,
qua ipsum ipsa Nemesis, omnisquè Charitum chorus
plenis ornârant calathis, magis indies apud exteros
etiam innotuerat, jam apud viros principes inclarue-
rat, adeò, ut JEHOVAH sic præeunte & suggeren-
te, Dresdam Electoralem Anno M. D. XCV. vocatus, in
favorem & amicitiam Consiliariorum adoptatus, in
familia-

familiaritatem & amplexum Domini Zachariae Starckij
Doctōris eximij, Practici, si quisquam fuit, celeberrimij
adscitus, qui, cum REINHARDUM nostrum ex Legibus
differentem, & Criticorum industrię nil relinquentem
audivissent, suspirans primò, deinde verò rupto silentio
exoptasse fertur, à Consiliario Elect. Saxoniae Richtero
Doctōri refertur, utinam, dixit, talis vir filijs contingeret
(Heidelbergæ qui commorabantur sumatibus haut ex-
iguīs) REINHARDUS nos interrogatus, tanti viri petito
nihil derogavit. Tunc REINHARDUM audire, & in
S. S. Legum studio citatis passibus procedere eodem
prorsus loco numeroq; habebatur. Anni præterierant
tres à primo regiminis sui accessu, cum suos, suæ com-
missos fidei, natos videlicet STARCKI Doctōris in illu-
strem Salanam deduceret, examinis rigori, disputatio-
num fervori exponeret, & simul Casparum & Carolum
J. U. Doctores magnâ laude, exemplo rariori creari &
proclamari videret, tertium autem Ernestum ibidem
Magistrum artium & Philosophię, J. U. Candidatum sa-
lutare inaudiret anno Gratia nonagesimo nono. Eâ-
dem operâ & ipsa Themis REINHARDUM nostrum
auro mitraquē decorare, tunc in sublime Cathedræ lo-
care affectabat, tunc liberalitas D. Starckij sumptus
Doctōrales (nil forsan sine causa) suppeditare parabat,
hic autem grato animo recognoscens, renuebat, Dres-
damquē reversus, patronus multorum & Advocatus
audit, (sic enim REINHARDUM Consiliarij Electo-
rales indigitarunt) exercitatissimus,

Erat domus ejus juxta palatium Saxonicum posita, scientiæ omnis emporium, miserorum asylum, afflictorum perfugium, domus consilij, auxiliij, honoris, domus virtutis & fidei. Hanc assidue circumfluentis multitudinis Clientum frequentia stipabat, in hâc nobiles, virique Senatorij & ignobilioris conditionis homines pro salute suâ, fortunarumq; conservatione REINHARDUM MULHUSATEM conveniebant, ab hâc quotidie plurimi recreati, lætiq; discedebant.

Properamus, visuri nunc ex quo Semine non otij illius, sed laboris tempestatis, ardoris illa post seges Beati REINHARDI nostri nata sit & effloruerit. Neq; hoc semen est Misnici & Saxonum tantum soli, quam sparsum hic primò diligentia, occatū labore, pietate irrigatum, & gratiæ, tanquam solis percoctum maturum exierit tandem in hanc patriæ nostræ messem. Ut pote cū probè intelligeret, posse Trojæ i. e. Lipsiæ, Vitebergæ, Helmstadi nasci, exercitatione fieri Hectores, sed non posse nisi foris fieri Ulysses, usu fieri, peregrinatione fieri, exploratione variorum fieri & quasi Titanis manu fingi; profectus ad Universitatem, quæ est Francofurti anno supra millesimum sexcentesium primo: inde Coloniam & Marpurgum, post Myrtilium ad Nicrum, ubi cum Paulo Melisso Comite Palatino plurima: hinc Argentinam, in quibus omnibus & singulis familiaritate usus virorum clarissimorum, Jctorum celeberrimorum, & quod ipsum sæpius cū voluptate meminere dicere, ubi vis lectionibus interfuit, cum Academicarum Doctoribus publicè & privatim disseruit.

Nove-

Noverat etenim REINHARDUS noster, & pulchrè
professus fuerat, neminem commodius & majori cum
laude ad summa Reip. gubernacula provehi posse, ne-
minem dignius, & uberiori cum civium utilitate ad am-
plissima illa munerum publicorū fastigia extolli, quam
is, qui diversos, non perversorum mores & ritus attige-
rit, urbes excultissimas lustraverit, qui peregrinando le-
gum sacrarum scientiæ prudentiæ gloriam conjunxerit,
qui instituta Rerump. plurimarum cognoverit, consue-
tudines perceperit, qui, quid imitabile, quid emendabi-
le, observaverit, quid in constitutione judiciorum, ma-
gistratum devolutione, & quorumvis munerum col-
latione memorabile, perspexerit. Si apud Roma-
nos olim illi, qui Remp. consilijs suis, atq; laboribus aut
auxerant, aut defenderant, aut conservarant, immorta-
lem gloriam consecuti sunt, quanto magis, Auditores,
REINHARDUS noster, qui propter futuram, DEO sic di-
rigente, patriæ utilitatem non tunc tantum, sed & post-
modum millies pro cōmodis & fortunis Reip. tot tan-
tisq; tempestatibus, laboribus, præclaris quidem, sed sat
arduis nisibus ac periculis offerre sese nō dubitavit, lau-
dem immarcessibile & decus immortale promerebitur?
Plutarche viveres, haberes novum Solonem! Homere
viveres, offenderes novum Ulyssem! In REINHARDI
nostri lustratione prælustrium horum locorum ipsam-
met Rempubl. sibi gratulatam & in hæc tacite prouisse
verba credibile est: ô me clarissimam, quæ REINHAR-
DO meo in Cathedris emicanti, aliquando fulgebo!
ô me magnificam, cui talis Dictator cælitus continget!

Hic enim demum intelliget, quæ aversa futura sint, quæ amplectenda, providebit, quæ me concutiant, dissipent, evertant, quæ me fulciant, stabiliant, conservent, ostendet. Jam jam ingeminavit Respubl. Plæbe per meam salutem, radios diffunde rutilos, nec prius aquas in occiduas defilias, donec dum huncce meum Antisthitem palma, eaq; lemniscata, ut aliquando Consul meus locutus est Romanus, coronatum restitueris. Coronavit, restituit, jamq; per Philosophiæ necessariæ secessus, per decem Academiarum concessus egressum, jam per Jurisprudentiæ partes, per justitiæ Cathedralis arces enitum, ex propositis Saxonix, Silesiæ, Bohemiæ, Hassiæ, Palatinatus, Alsatix & plurium regionum perlustrationibus transgressum, faustissimarum gratulationum vultu Athenæum Helveticum excipiebat REINHARDUM doctissimum, in Cathedram suam provocabat, in jurium Syrtes devectum, velociter ex ijs emergentem, conspiciebat, solenne rigoris periculum, quod ita vocari moris est, cum & quereu sit durius, & buxi lignis solidius, & nigrâ cupresso fortius, fortiter sustinere, neq; tamen virtutem ejus frangi, sed in morem palmæ, contra quælibet assurgentem onera, injectas moles alacriter dejicere advertibat: Hinc admiratio, & unus non è multis applausus Athenarum! His pertentatis, tota illa Universitas Basiliensis pectus hoc immensâ quâdam omnis scientiæ abundantia ac fruge instructum, mitrâ rubente splendore induebat, auro cinctum, dignitatibus ac honoribus

quæis homines ornasse datum est

Sym-

Summis afficiebat, J. U. mysten creabat, salutabat in
magnis maximum, & hoc anno 1601.

Interea temporis desiderio REINHARDI nostri
Dresdæ tribunal tenebatur, clientes expectabant, ma-
gni nominis quique exoptabant, hinc Dresdam, relictâ
Basileâ, iterum contendebat, Doctor noster recens cre-
atus, castrum namq; hoc munitissimum, sedem serenis-
simorû Saxonæ Electorum & Principum splendidissi-
mâ, perq; omnes gētes notissimâ Doctori nostro virtu-
tis suæ theatrū Veneranda Themis elegerat, Dresdæ in
oculis omnium habitare illum volebat, Dresdę ab o-
mnibus illum frequentari desiderabat, Dresdę REIN-
HARDUM Doctorem, tanquam bonum suum commu-
cativum & sui diffusivum prostare flagitabat, idq; non
reciproco absq; affectu effectuve. Longum hîc futu-
rum erat, si principes imperij, Comites, Barones enume-
rare aggrediar, quorum aulas Legatus, sæpius Illustrissi-
morum Administratoris Friderici V Vilhelmi & Electro-
ris Christiani II. Commissarius delegatus obiit, neq; ra-
rò rebus salvis & sopitis. Nunc aperiam, Auditores, o-
mnium cogitationes. Nunquid omnes opinamini tan-
to viro unquam ullos deesse potuisse honorum gradus &
omninò, qui debiti erant, deesse nunquam potuerunt.
Annus currebat post natum Servatorem elapso mille-
nario sexcentessimus quartus, cum Curia nostra con-
queretur se desertam & animâ suâ destitutam esse,
jura sua confusa, lites suscitatas, sanctiones re-
scissas, dilationes injectas dolebat, à quo sublevari &
protegi deberet, ab eodem relinqui se & propemodum
turbari

turbari & enecari misera persentiscebatur: Tunc Clarissimum hunc REINHARDORUM nepotem, cuius gravitate, moderatione animi, sedulitate eò res deducta erat, ut famam, quam angustiorẽ initio acceperat, non mænibus ac muris Misnicis, sed patentissimo cœli ambitu circumscripserat, patria desideraret, quem formæ venustas & gravitas, quem frontis & oris honesti gratia, quod olim moris erat, regno dignum faciebant, Resp. nostra unanimi procerum consensu, missis tabellis publicis, invitaret, Consiliorum suorum Præsidentem & Cancellarium jure quodam suo sollicitabunda exposceret. Dresda suspicabatur sed non illicò, suspicabatur tamen ab irum Advocati sui fidissimi, Doctoris eximij, Clientes deprecabantur transitum patroni, amici prohibere conabantur profectionem præsidij, & singularis sui ornamenti, viri celebres Collegam, ordo Jurisconsultorum lumen & decus suum migrare indignabantur, aula ipsa sua in auro imitamina exhibitura, sed retractura eundem, ostendebat.

Obfluunt mihi, Auditores mecum mæstissimi, jam lacrymæ Alexandri Magni, quas in Achillis monumento effudit, quem ob id felicem exclamabat, quod Homerum virtutis suæ præconem nactus esset! at quid lacrymæ? testes erant affectus & doloris, quem ex desiderio viri tam sublimis concipiebat. Haut sicciore mihi videntur affectus Magni illius Sacri Palatii, Aulæq; Cæsareæ & Imperialis Consistorij Comitis Johannis Georgi Gödelmanni, quos in momento abitionis denunciata & monumento LAURUS Doctori nostro ultrò posito,

posito, effudit, qui ob id felicem exclamabat MULHUSIUM, quod REINHARDUM causæ suæ actorem & patronum adeptura esset: At quid tunc Laurus viridans, & commotione Gödelmanni, in coronâ undecim Doctorum, Electoralium Consiliariorum tempora Syndici designati circumfluens? Testis erat affectus & doloris, quem ex desiderio viri tam sublimis concipiebat, animum enim dexteritate ingenij, ac comitate morum expugnauerat omnium,

Tunc ---- ---- quæ te tam lata ferebat

Dies? Taubmane magne! etiamnum contemplor in affectus tui erga Orestem tuum monumento, dicto dieposito, l. 2. Epigram. p. 765.

Dresdæ, etsi maximos admiratores sui jam pridem invenerat, à quibus & magnificè invitatus, & munificè, si quisquam, habitus, redire in patriam tamen, huicque periclitanti succurrere maluit, quam, ut inter purpuras & catenas gemmis distinctas de libertate sua quicquã imminutum iret: Dictæ igitur vocationi divinæ, reiectis & neglectis obstaculis omnibus, morem gessit, & spontè se subiecit, piè secum perpendens, ortus sui vendicare patriam partem potissimam. Redijt igitur, quod felix faustumq; SUMMUS iussit, cum summis imi experti sunt, redijt REINHARDUS noster SYNDICUS designatus dignissimus Mulhusium! redijt, in quem non solum nostri, sed totius patriæ oculi erant coniecti, in quo spei & præsidij plurimum post DEUM immortalem positum habebamus, hūc propugnatorem & custodem religionis, Justitiæ pudoris agnoscebamus: nec vanâ spe delusi.

E

Consi-

Consilij namq; Beati Antecessoris nostri **REINHARDI** Resp. semper hæcenus subnixæ firmiter constitit: hoc monitore Consules, quod esset ex usu patriæ, nunquam non executi sunt: Non te favor Magnatum, **REINHARDE** Syndice, flexit, non metus offensæ, transversum abripuit: non te movebat asinus auro onustus, rupis instar marinæ immotus restitisti, instar Capitolini termini & juventæ tum dejici & depelli loco non poteras, justis si premeunda linea.

Omnia scientiæ, virtutis omnia & laboris abyssus hæc & vorago Spartam hanc Syndicatus ad eò splendide & operose ornavit, ut in eadem fidei ac industriæ suæ inexhaustæ, raræ ac præclaræ vestigia reliquerit non ad exigui temporis laudem leviter fixa, sed ad memoriam Cancellorum in iisdemq; omnium successorum sempiternam impressa profundissime: Animus enim supra id, quod humanum, hoc est, alternæ requiei particeps, salutis studiosa mens concatenato labore exantlando sufficiens, ingenium noctes atq; dies in quiete amore patriæangebatur, ut vestris ô **MULHUSINI** commodis & quieti inserviret **REINHARDUS** vester, vos curis ut eximeret, jugiter operabatur.

Nec poterat Virtus Syndici nostri tunc latere, coacta igitur prodire & Cameram Imperialem, quæ Spiræ est, petere, ubi ex voto rebus faustissime confectis, reversus, **RUDOLPHUS II.** Romanorum Imperator Augustissimus Remp. nostram designaverat, ut in dissidijs inter Ducem Brunsvicensem & Metropolim Brunsvigam componendis, & illius obsidione bellicâ removendâ

vendâ Commissarij vices sustineret: Ecquid tum illa?
In REINHARDO suo suæ amplitudinis, & rei cuius-
vis benè gerendi promptitudinis Imperatorem certio-
rem facere, eandem Principibus exhibere, belli ducibus
& utriq; exercitui ostendere se posse confidebat, ideo-
què tunc una cum Consule GREGORIO à Flaischaw
Commissarius audiebat Cæsareus subdelegatus Magni-
ficus, & eo ipso, quæ antea vi quadam continebatur,
majori impetu, torrentis instar erumpens, omniaquè
delitescentiæ repagula effringens evolabat altius, &
Resp. cum illo, fundebatq; se in plures regiones Mulhu-
sium latius & lætius.

Nulla calamitas sola, tritum est sermone non abs-
re proverbium: Res secundas incomitatas in nos ir-
ruere rarissimum, factò cognovimus, Augures haut in-
sipidi. Cum sol igitur rediret, septimùm currentis se-
culi, DEUS quem potius habemus Pronubam, quam ve-
terū aut Junonem aut Venerem, Candidatum Amasiæ
in meditullio urbis sistit: quam illam? planè, qualem
Callimachus Dioni suadebat, virtute æqualem, fortuna
prominentem, Filiam Ludovici **Lamhardis** Senatoris
quondam Mulhusini REBECCAM, Hermani Ilfingi
LL. Candidati relictam, matrimonio ipsi copulat. Sa-
pientia JESU, filij Sirachi, aut quod propius, sapientia
JESU filij JEHOVÆ, Syracide interprete bonam,
foeminam ad hanc faciem describit: ut sol oriens in su-
premo coeli loco, sic pulchritudo bonæ mulieris in or-
natu domus ejus, & quæ plura illic sequuntur, sed & quæ
antecedunt, evolvite.

E 2

Æstimate

*die Mart
die deor
curri post
Sex ugel.*

Estimate obsecro vos, quicumq; REBECCAM Syn-
dici nostri, quicumque artem & lineamentorum adum-
brationem Spiritus Sancti novistis! nonne in hac tabel-
la, per Sicracidis illam Sapientiam REBECCÆ expres-
sam depinxit effigiem? depinxit, ita me Sapientia illa
amet, excitatâ colorum differentia perfectissimam.
Ea tamen ipsa REBECCA, heu res humanas! in floren-
tissimo ætatis statu, cum jam omnis virtutis & honoris
gloria, tertiaquè prolis felicitate affluere videretur, gra-
vi fato præventa, ex angustiâ partus decessit: ô inane re-
rum humanarum ludibrium! Ea tamen ipsa, inquam,
REBECCA, quæ ut sol oriens in supremo cœli loco,
quæ ut lucerna splendens, verba sunt dicti Sapientis, in
sancto candelabro, quæ ut columnæ aureæ super basi
argenteâ relucebat, pallescens occidebat, sed partu, quæ
diximus, ex Ilfungo priori marito ANNÆ-ELISABETHÆ,
(quæ jam superstes huic voci ulterius fave, & hanc fove
ô DEUS! juncta Domino Johanni Mollensfeldi J. U.
Candidato, Senatori gravissimo) VICTORIÆ filiabus,
& AVGVSTI Filij unici anno post millesimum sexcen-
tesimum duodecimo in lucem editi, beata: ex quibus
VICTORIA anno 1608 nata, anno autem 1625. dena-
ta tristissimo funere elata est: Vos mæsta templi sub-
sellia, vos Cæmeteria, quæ etiamnum violis hujus &
floribus diffluitis, mihi testes estis, dici vix posse, quan-
tis mærorum, tristitiæque fluctibus patris senis præalta
domus tum temporis inundaverit!

Alcestis Admeti Thessalorum regis conjunx, cum
fatalis dies marito instaret, & tamen Apollinis benefi-
cio

cio longiorem vivendi moram impetrasset, ea lege, si
amicorem quem, qui pro se volens mortem obiret, in-
venisset: recusantibus universis, ipsa pro marito è vitâ
cessit. Sed quorsum fabulas narro, & Poëtarum phan-
tasmata? Hoc ego, pientissima ANNA-ELISA-
BETHA, de pietate tua certò persuasum teneo, si pos-
ses vitam defuncti vitrici tui vitâ tuâ redemere, vitam
& animam non dicam pro marito, vel etiam pro vitri-
co, pro patre quadantenus tuo, profinderes, ita, ut
quæ ab aliquot seculis fabula fuisset, abs te demum no-
men historia, etiam fabulæ affectum superans, merere-
tur; Fœminam Mulhusij repertam, quæ ut vitricus vi-
veret, ultrò vitam cum morte commutârit.

Nunc perpendite, Auditores, quem Beatus REIN-
HARDUS noster, taceo erga suos, sed erga eos etiam,
quos inter plerumq: dissidiæ suboriuntur, se gesserit? o-
mnes omnes amore sui inflammavit.

Verfabatur sacrarum Legum præsidis, promi, Con-
di, thesauri oraculi nostri Mulhusini imago proceribus,
& cuius nostrum ante oculos, frontis illud augustum
& amabile lumen, veneranda, supercilia, divinos illos
& perspicaces oculos Curia intuebatur, os composi-
tum, manum illam aëtricem & reëtricem, suisq; patribus
REINHARDUM in subsellia sua eveherent, suadebat
& persuadebat anno 1616. ô factum auspiciatissimum!
ô divinatricem Remp. verè divinam! Tunc diutissimè
aquilæ tuæ sublimitatem consistere posse putabas non
si ruditatem Senatoris, sed scientiæ fulgorem avito in-

stituto in REINHARDO nostro continuando seque-
reris! Hoc rectore jurium ignaro, privilegia tua facta
tecta manere, quippe qui quantum in eis momenti si-
tum esset, ad tui dignitatem retinendam non inscius,
confidebas.

Huc igitur tuas rationes, huc consilia & suggestio-
nes referebas, ut sanctus hic Justitiæ Sacerdos Syndicus
REINHARDUS nunc Senator salutaretur, anno post-
modum sexcentesimo 17. in arcanioris Consilij Sena-
tum cooptaretur,

Instat tempus, cum in mores vitamq; REINHAR-
DI inquiramus superstites, & quicquid de illo rumor
suggerit, inter exempla est. Tunc ingrediebatur REIN-
HARDUS noster verè theatrum virtutum, quæ in pote-
state cujusq; mores & ingenium prodentes, ut ex Sapi-
entibus quidam dixit, virum demonstrantes, maximè
solent perspicere.

Nimum sibi Felicitas permisit cum REINHAR-
DUM nobis concessit, paulo modestius, meo iudicio
agere potuisset, cum unum eas virtutes habere homi-
nem permetteret, quibus singula membra totius corpo-
ris Senatorij distinxit.

Commendat in oratione funebri & alibi hoc no-
mine Servium Sulpitium Rufum Cicero, quod, licet ex-
cellenti juris abundarit scientiâ, plurimum tamen sum-
ferit operæ & temporis, sive pronuntiandum in foro,
sive consilia alijs danda forent. Et in hac arenâ Buc-
cinatorem agit Prudentiæ tuæ ipsa Nemesis, REIN-
HARDE consultissime, ex sulco namquè profundo,
instar

instar Amphiaris Vatis veneranda consilia pullulabant, quæquæ accuratissimè ponderans, cum Romanæ historiæ scriptore Livio in eam descenderas sententiam, ut statueres: Consilia callida & audacia primò quidem specie esse læta: Sed tractatu dura, eventu tandè tristia. Celebrat hoc titulo Servium Sulpitium Tullius, quod non magis Jurisconsultus, quàm justitiæ extiterit, quod ad æquitatem, quæ à jure ac legibus proficiscerentur, quæq; retulerit: Iisdem humeris & ipsemet **REINHARDE** Senator summis proxime, ad cœlum tolleris, qui, quod nonnullus Jureconsultorum jubet, ab authoritate, sententia & subtilitate legis, id quod humanitatem magis redolebat, nunquam non separavisti, cogitans illud summum jus summam injuriam semper exosum fuisse.

Jaçtat his insignibus Servium Sulpitium Consul Romanus, quod concordia fuerit studiosissimus, Consensus in civitate auctor perpetuus, quod pœnam temerè litigantibus sancierit, ne lis ex lite consurgeret, ne in causis civilibus à lite contestatâ triennium, in criminalibus finiendis biennium excurreret, prohibuerit: Te **REINHARDE** excellentissime, laudatum aures circûvagari, te videor mihi mutato nomine describi ab oratore, qui cum Agesilao apud Plutarchum mænia nostra civium unanimitate tutissima ferebas faciebas, hinc arx quædam eras subditorum, perfugium exterorum, ara salutis communis.

Auget laudando Servium os Latium, quod
operâ

operâ suâ præsto cunctis fuerit, multum vigilârit, laborârit, sit imperitorum stultitiam perpeffus, quod plures difficultates exorbuerit: Sustinuisti, REINHARDE prudentissime, & devoravisti, tuum accersere auxilium templis Deorum licuit, Gymnasij pulpitis permissum, imò res salva fuit, litibus forensibus liberum, te sine ligatum, vitæ ordinibus concessum.

Interea temporis vagabatur CHRISTOPHORI REINHARDI nomen longè lateque, sedem quidem stabilem & domicilium non habebat: Sydus enim isthoc jam olim Misniæ splendorem suum immiserat, hinc etiam compluribus alijs eadem regio calorem ejusdem impertire. Satagebat & REINHARDO nostro inscio, vel invito sobolem ipsius aliquando in Collegio privato exclusam in lucem protrudebat, suiq; antithac Advocati Dresdensis labores liberaliter juris publici faciendo communicabat.

Prodibant anno 1614. tractatus duo Methodici de arresto & privilegijs Creditorum diu ut vocantur, desiderati, auctor insigniebatur eximius quidam Germaniæ Jctus, & territorij Saxonici practicus eminentissimus, verba sunt primæ frontis seu tituli. Hisce conspectis tractatibus JENA hærebat, &

Cur ita sub latebris tua nomina condis, & imo

Pectoris occultas nomina sub gremio?

rogitabat. paulò post.

Miror, & in miris mea pectora seruo latebris,

Cur tali miro polleat ille animus?

Commodo suo expertis Mulhusinis vix mirum;

Nonne

*Nonne vides laudum quod fama virescat in horto
Illa tua, illa tuo germine honoris ovans?*

REINHARDI Syndici nostri erat, ô alma Salana! eadem ibidem canebat.

Vidi ego, contineone meam sub pectore vocem?

Sed volita nomen, verba ego seruo mihi.

REINHARDUM nostrum vidistis Athenæ Thuringiæ,
Et post intervallum

*Vade age, vade vola, volitaq; per ora virorum,
Perq; oculos volita, perq; animos volita, &c.*

REINHARDI nostri prolem germanam vadere & volare volebas Lipsiæ soboles posthuma.

Nec Resp. solum in territorio suo in sublimi hoc ingenio Syndici sui sibi placebat, sibi blandiebatur, sibi sancta quæq; pollicebatur, sed in hoc membro REINHARDO suo, quem omnis scientiæ verum penu, omnium Consiliorum ac quarumvis expeditionum pandetas merito inscribebat, apud exteros sese jactitabat, & si quando Commissiones ab Imperatore injuncta, quarum aliquam supra attigimus, in rebus celsissimos Principes, & alios imperij Ordines concernentibus obeundæ, magni negotij cûra alicui committenda, si quando circuli Saxonix inferioris Ordinum confœderatorum conventus habendi, Resp. gravitatem, severitatem & constantiam, pondus ac supercilium immobile atq; invictum, tanquam in speculo optico, ostēdebat in REINHARDO suo: ingens enim illa anima, quam libertati & saluti suæ victimam servari sciebat, nunquam latere poterat, quæ nobilissima, nunquam stationem atque au-

F

ctori-

toritatem publicam deserere debebat, quæ patriæ ad-
dictissima.

Prædicabant fastu superbissimo Cæsares & Impe-
ratores aureos illos currus, quibus vecti, triumphantes
capitolia conscenderunt: REINHARDUS noster capito-
lium nostrum erat, in quo Reip. virtus triumphabat, hic
erat currus aureus, quo vecta illius amplitudo, plurimum
principum, ipsiusq; Romani Imperatoris terminos im-
pellente voce, stylo & face hujus pertransibat.

Hoc opus hic labor fuerat hæctenus illustris ac arduus

famam extendere factis.

E subsellijs ad summum consulatus fastigium cum Se-
nator anno abhinc secundo evehendus esset, insurgebat
illicò Resp. Eccur Proceres mei fidissimi potius in hunc
ora & vultus intenditis, cujus gratiâ & gravitate hucus-
què obumbramini, perfruinini? Cur non justitiæ & se-
dulitatis faces præferenti, fasces & securim meam com-
mittitis? Jureconsultorum verticem illum intue-
mini!

Aggredere o summos (aderit jam tempus) honores

Cara Deum soboles, magnum Jovis incrementum!

Te Doctorem excellentissimum, te Syndicum REIN-
HARDUM, te Senatorem summum, te Seniorum maxi-
mum, compello, tu pro tribunali meo sedecas, tu civibus
meis jura præscribas, lancem & gladium meum tempe-
res, Consul meus audias!

Sessit, Ah! præscripsit, temperavit! in vitâ suâ
dum viveret vitam Reip. versari quiquè sensimus: nos
in Reipubl. curam ita toto pectore & animo defixum
vidimus,

vidimus, ut non ratio rei familiaris, non uberius è patrocínio peregrinorum commodum ardentem Resp. amore ac flagrantem retinerent, quin de unâ cogitaret, unam loqueretur, uni omnia metueret, unam animo infixam gereret, uni, si quid ingruisset, quorū tempus nostrum feracius, sui ac suorum prope oblitus, gemeret, ac suspiria traheret obtusissima.

O verè REINHARDE fortunatam natam te Consule Mulhusam! Nondum sat moliminum in Syndicum nostrum vigilantissimum devolutum judicabat Resp., viderat siquidem, & maximo suo commodo deprehenderat huncce Consulem suum DEUM sibi Atlantem fulcivisse, fidelitatis ac Parsimonix humeris instruxisse, ne quam igitur occasionem elabi sibi pateretur, Camere seu ararij sui Præpositum & directorem summum, anno supra sexcentessimum vigesimo septimo, nono vigesimo autem redituū & expensorum Ecclesiasticorū dispensatorē deligebat: in quibus omnibus muneribus ita fidem & curam suam probavit, ut charus Senatui, acceptus civibus, amabilis omnibus veniret.

Quibus præterea excellenter coruscavit Consul noster beatissimus, virtutibus, taceo pietatem, quâ sine res tam multas, tam arduas, quæ carbonum cineribus suppositorum instar habebāt, nec aggredi, nec sustinere & perferre, nedum & exitum, quem adeptus toties felicissimum perducere potuisset: mitto moderatricem illam animi cōmotionum, temperantiam, transeo erga egenos, & quosvis alios, liberalitatem, linquo humilitatem, quantūvis a. potentiâ & fortunæ splendore REIN-

HARDUM nostrum maximè eminentem vidimus, nunquam tamen per insolentiam animum extulisse, vel ruptis æquitatis & honestatis repagulis, quicquam suò meritò indignius in quenquam statuisse: omnibus qui excellebat, nihilominus æqualis esse volebat cæteris, & ex omnibus, quæ pro imperio ac potestate patriæ gerebat, curam sibi tantum & molestiam reservabat. Hæ virtutes, hisq; plures, ita radices in ejus animo & intimis sensibus egerant, ut non præscriptæ, sed innatæ, ad has non doctus sed factus, hæ non præceptis instillatæ, sed naturæ ingenitæ, non exercitatione confirmatæ, sed à primo ortu infixæ viderentur.

Omnes, quo nescio desiderio, ad suprema horum, qui virtute aliqua excelluerunt, trahimur aut properamus: animo igitur & ego assurgo ad illa, si prius de Candore Consulis nostri dixero. Gloriosè de se Hercules apud Euripidem prædicat, se non esse virum duplicem aut bilinguem, similiquè jactatione Capaneus gloriatur, sibi esse cor sincerum & os affabile. Ignosce Hercules! Ignosce Capaneu! Suspicio menti subrepat, hominem Græcum pro argumento hanc Symphoniam cordis & oris in vobis aliis intendisse, liberaliùs prædicasse: hic nihil gratiæ datur, nihil argumento, omnia in Consule meo parebant, aperta expansa erant, si quid involucris, cum Homericis Achille, tanquam inferorum portas abhorrebat.

De Masinissa Numidarum rege tradit Valerius Maximus, illum adeò timidum fuisse & meticulosum, ut omni hominum satellitio & præsidio amoto, salutem
& secu-

& securitatem vitæ & fortunarum solâ canum custodiâ
vallârit, inq; eâ omne præsidium unice collocârit: Næ
miserum & misellum præsidium! Næ stipatores & fa-
tellites infirmi! quî enim canes hostium amolientur in-
cursus? quî proditorum consilia? qui prudentiam &
vires formidandas seditiosorum inhibebunt, amove-
bunt?

Non hoc profectò, non hoc canum præsidio seu
subsidio indigebat Consul noster fortissimus, quem nō
modo quivis subditorum, te testor colenda Fidelitas!
Vos, cives Mulhusini, testor! quivis inquam non modo
sine cura dormientem sinu fovisset, sed & periclitan-
tem, pectoris objectu, propriæ salutis prodigus, defen-
sum ivisset, si mortem obeundam vidisset, non recusaf-
set: adeò **REINHARDUS** noster thesaurus erat nostris
pretio inæstimabilis!

Vidimus hætenus **A. REINHARDUM** nascentem;
laborantem persensimus; restat, Ah utinam hoc unum
omitti posset, morientem ut dicamus.

At, ô me miserum! egonè ille omnium infelicissi-
mus, quem fata ad hoc tempus reservarunt, ut cum
Consulem dicerem mortuum, cui ego secū dum **DEUM**
vivere & valere meum commendatum sciebam? cum
subire tenebras, cuius unius ego auspicijs in luce hujus
loci patriæ dulcissimæ versor? cum me relinquere, qui
relictum sic fovebat, sic in manibus habebat, sic ample-
xabatur?

Nescio quid vobis reliquis studiosis præsentissimis
factum sit, è meo tamen affectu si aliorum æstimare li-

ceat, nullus dubito, quin multi vestrum, si mecum ad fe-
ralem illum lectulum morienti adstitissetis, luminibus
privari elegissetis, quam mori videre eum Consulem,
quo cum studiorum Charites mori, & Charitum for-
tes fisti videbantur.

Iterum dico me miserum! quod non in alio argu-
mento hunc animum, hanc linguam de me uni omni-
um meritissimo probare potuerim.

Auditores, si
lacrymis lingua, mens dolores perpeffa, iisdem oppressa
contitescat, veniam ab omnibus mihi deberi, persuasi-
simum habeo: filium enim in parentis funere loqui, ne-
mo iussit unquam; aliquid stupori conceditur, aliquid
mœrori datur, solius doloris ergò & mei prærogativa
est silentium: Cur igitur non concessum sit mihi idem,
quod Poëtis, Silentio involvere propriam calamitatem,
remq; mihi dictu acerbam, vobis autem auditu luctuo-
sam, præterire? Unde enim vox ista singultans, & ver-
ba semesa? unde lacrymæ, quas ex his oculis ebullire
cernitis? Mors Consulis mei A. mors Consulis mei cor
& voce mihi frangit, aquam vi profusissima protrudit.
Scio quid mihi dicturi estis: Consuli tuo optimè con-
sultum, ex hujus ævi calamitatibus ad æternam beatitu-
dinem emigravit, ad domum illam quietam, è qua præ-
clarissimos illos Spiritus & virtutes traxerat, perrexit,
cœloq; confedit. Audio sanè: quis autem bonus filius
Patrem, quamvis sempiternam in cœlis sessionem ipsi
minimè invidet, nolit diutius secum, cum quorumvis
bono vivere? Quis filius non degener prorsus patrem
non lugeret ademptum? Consul enim hic meus, si
nomen

nomen demas, nil nisi pater erat! hunc nō deplorarem,
hīc, nō omnes dolori habenas laxarem, ferreus essem,
aut duris me cautibus horrens Caucasus Hyrcanæquē
admoissent ubera tygres!

Ecquid tandem facies? pergitis, DEUS immisit,
quidni ergō æquum censeas? Certè necessitatis hoc u-
nicum est effugium, velle, quod ipse cogat: volo, volun-
tate quam nostis affectuum Magistri.

Rerum Natura, tecum mihi res est, quare aut cœ-
lestem animum REINHARDO meo desideratissimo
dedisti, aut mortale corpus?

Sed quo orphanus ego affectuum abripior? per
singultus verborum ordo perit! patimini A. quos idem
tangit luctus, patimini lacrymas aliquid sibi temporis
indulgere, neq; n. facilius mæstitia loquitur, quàm cum
magnâ sui parte exhausta est. Nunc siste modum lacry-
mis, ô mens mea, & paululum cum oratione in gratiam
redi! omnia nata denasci, neq; quicquam mortalitatis
expers esse in terris, præter vim mentis & ingenij opera,
mensi emenso te docuit verum togæ decus & Musarum
patronus, Consul tuus beatissimus, nec id primum.

Cum enim aliquot ante menses in hoc ipso loco
pijs Manibus viri quondam excellentissimi GISLERI
REINHARDI J. U. Doct. Prætoris dignissimi, Con-
sulis nostri agnati & Collegæ conjunctissimi iusta
fecissem funebria, quod Auditores meministis, & post
domi cum illo & agnatis quibusdam accubissem, inter
alia sic ordiebatur Consul meus: Sibi equidem morem
& modum illum parentandi maximè placere, cujusquē
etiam

etiam in rem Christianam & publicam merita id jure suo poscere, ut illorum memoria hisce superstitum encomijs in posteros diffundatur, plurimos edifferebat, sicut eâ de re caneret Lyricus illacrymabiles urgeri, ignotosq; longâ nocte, caruerint quia Vate sacro: nec dubitare se pergebat, & eundem honorem alios viris mole meritorum magnis vita defunctis in Gymnasio exhibitum iri, insimul profundissimè singultum eliciēs voce tremula addebat, **Das wird mehr Leute kosten.**

O vocem Consulis mei vaticinam sed nimis dirâ! qui aliquid sublime, aliquid fatale hic non videt, nihil præter ignorantiam exculpit: quidvis tunc potius timuissem, quàm mortem REINHARDI divinitus nobis concessi. Tunc Consul meus eras, qui mole meritorum ingravescens hoc honore afficereris, ast alij mærore? Eheu quàm

nescia mens hominum fati, sortisq; futura!

Sed nondum coibas cicatrix, semper enim refricabat, semper in ore, in oculis, in corde obversabatur vitam hanc rot obseptam periculis, tam gravibus difficultatibus interclusam, atq; ad eò miseris undiq; esse circumdatam implicatam, ut quæ se corporis sui compagibus & vinculis exolveret mors, acceptissima foret. Natum etiam suum charissimum AUGUSTUM ut pium & doctum haberet, eumq; cum ad familiæ suæ decus, ad DEI gloriam, tum ad utilitatem aliorum produceret, nullis sumptibus parcebat, nulli labori, eundem feriis indies instruebat monitis, forsân sibi brevi discedendum esse, divinabatur; atque utinam hæc patri optimo contigisset

gisset felicitas, ut è messe, quam jam jam seminabat speratam & utilitatem, & voluptatem percipere potuisset.

Singularia hæc omnia erant, & mentis in cœlum penitus subreptæ indicia. Sed quid multis unguem his præfagijs divinæ mentis dolori immitto?

Cum jam defensionis Cathedræ Ecclesiasticæ & tribunalis intentissimus esset, ut dum iisdem consultum vellet, sui, quo hæc ipsa nitebantur, rationem non haberet, plures ad morbum dispositiones contraxit.

Totum fermè per quadriennium Consul noster cum crebris & periculosis in dextro latere, catarrhis & & capitis fluxionibus conflictatus fuit, è quibus tamen intervenientibus devotis precibus & Medicorum cura aliquoties feliciter convaluit, quin & paucas ante septimanas peculiarem de iisdem instituebat consultationem, cujus etiam nonnulla pars in effectum deducebatur. Successere *ἀγρυπνία* seu vigiliæ molestissimæ: has exceperunt tenacissimæ trepidationes & profundissimæ mali imminentis imaginationes: Et jam poplites, jam nervi, jam vox ipsa, ipsi quoque oculi paulatim defecerant, prægravatus functionum aliàs gravaminibus inexplicabilibus, cum de pace religionis ex constitutione imperij crebram mentionem injiceret, cum ejusdem violationem modernam abominaretur, omnes detorsiones & falsitates Autonomi, Dilingensium & aliorum perreptaret, rationibus & conscientiæ clypeo proculcaret, & si fracta illabatur pax illa (quod omen averti semper DEUM obsecrabat) qui pacem habeat

G

cum

cum DEO, reconciliatus sit per CHRISTUM fide apprehensum, hunc demum verâ & stabili religionis pace frui, tanto animi ardore, devotione tanta ingeminarer.

Religionem nostram Lutheranam, hoc est, veram, unam osculabatur, unam volebat, id agebat, huc respiciebat, huc cogitationum, huc laborum ultimorum, huc angorum suorum summa collimabat pacis nostræ columnæ ac decus.

Illuxerat dies vigesimus Februarij D. Sebastiano sacer cum CONSUL noster se totum summo mane divinæ clementiæ transcriberet & consecraret, cum invires ipse se suas, (variæ siquidem curæ & ex gravissime venerandum pectus ejus dudum exederant) erigeret, animi firmitatem corporis infirmitati opponeret, vestimenta indueret, Biblijs sacris primum, quæ evoluta moribundū inspexisse deprehendebamus, & tuæ ô patria! libertati & religioni vindicandæ, rationes conquireret, circa undecimam in medijs Musis, da vocem! juste dolor, succurrere dolori indigna licet Christiano indignatio! Deficit, apoplectico paroxysmo percussus in somnum prolabitur profundissimum: En habes patria propterea occumbentem SYNDICUM & CONSULEM stantem, quod imperatorum solum proprium est exspirantem: accurrit filius, nos qui ipsi ut plurimum à latere, advolamus, confluunt filia obstupefacta, gener quem inscribere solebat dilectissimum, fratres, soror accelerant, collegarum pars potissima tristata
invisit,

invisit, Medicus accersitur, omnia periclitanti, quæ ab homine proficisci possunt præstant officia, odores naribus admovent, Consulem nostrum quibus recreari & veterno eximi posset, extrema quæq; quæ tentant, sed frustra: DEUM immortalē!

Quæ suspiria, quæ lamenta, qui plangores inter cives audiri ferebantur! Miserebar miseriam vestram ex animo, mei MULHUSINI! Dum alij Patris patriæ interitui, alij præsidij & fulcri MULHUSÆ ariditati, alij columnæ religionis dejectioni, alij afflictorum perfugij everfioni, alij alijs, quæ diversis diversa non diversus suppeditabat dolor, metuere videbantur & quiritari.

Cum autem per aliquot horas quievisset, & tandem aliquanto altiùs ducere spiritum cæpisset, inter preces, & lacrymarum profusiones inter horam quartam & quintam vespertinam Lux & vita nostra cum sole occidit, & Consul noster Eheu desideratissimus, dicto die Beati idem Beatissimus Spiritum Domino reddidit, Anno LXII. heroibus fatalis esse assolet.

Siccinè ergò REINHARDE beatissime felix arbor fuisti? quæ è seminario diviniore plantata, in eam excreveras amplitudinem, ut Ecclesia, Schola & Resp. nostra sub te umbram & fructum carperent? fuisti.

Siccinè tu tam subito excisa, terra operiris, nec umbram, nec fructum nobis suppeditatura? Heu vereor!

O Sydus MULHUSINUM prælustre, quorsum
è cælo tuo detraheris? quorsum diem Sebastiani squa-
lore & tenebris nobis obducis? ô doloris æterni vul-
nus! ô fatum patriæ, & justitiæ ipsius fatum! Ecquis
capillos scindentes, genas lacerantes, pectus percuti-
entes vos cives reprehenderit? Mori videtur mihi to-
ta illa antiquæ fidei & virtutis nutricula M O L H U S A,
eodemque funere cum Consule suo ad sepulturam
efferi! Effertur MULHUSIUM! Effertur MULHUSI
Consul! Nonne hoc est dicere? Auditores: Effertur
Ecclesiæ defensor acerrimus: Effertur Musarum
Mecenas benignissimus, communis patriæ parens ef-
fertur fidelissimus: & nos non moveamur? nullum a-
moris indicium edamus?

Sed plura tua, ô M O L H U S A mæstissima, non
dicam, vereor enim, ipse tecum lacrymis præpeditus,
eos quos in cor tuum & anima se diffusura est questus,
diffluere patiar. Et quidni præpediar ego? quidni
perturber? ubi tanquam in immortalis capitolio lau-
dum exultare & triumphare desiderat Resp. lacrymis
& dolori totam se tradit: Heu lux patriæ ac pater! Heu
exemplum omnis ævi, admiratio mea, stupor meus
R E I N H A R D E helluo salutis & incrementi mei!
Heu spes meorum, in quem proceres mei omnes o-
culos ac cogitationes tanquam scopum intendebant,
ad quem dubij & devij concursabant, animumque an-
cipites.

Heu

Heu MULHUS ATUM Hercules ac Telamo

Sed togate

-----cujus ob os

Patria

ora obvertebat sua:

quo prorsus? te mihi terga obvertente, immane quantum patior cladis, ruinæ quantum Resp.? Siccinè moreris Consul & tribunal meum æquitate suâ privas? tu immortalibus monumentis posteritati consuluisti, Magnates mihi devinxisti, famæ atque amplitudinis meæ fines extendisti. Lateritiam primum Cancellariam meam invenisti, reliquisti marmoream.

Achillis arma, eo interfecto, ne movere quidem ullum potuisse, à te Vate multoties audi concinenti: Ingenij labores tui & calamum, Sapientiæ tuæ instrumentum, arma mihi semper visa sunt, videbuntur ab omnibus successoribus, eosdem autem eo universo uti, optare, sed vix sperare audebo.

O REINHARDE desideratissime! videro quipiam è tuis tuum, toties occulta SYNDICI mei incomparabilis mentem inflammabit memoria, toties, quæ lacertorum tuorum impulsu super astra ferebar, delabitur dejectio, fuerit ille labor tuus, mea certe gloria fuit! fuerit virtutis admiratio tuæ, meæ fuit exaltatio amplitudinis.

Tu verò, Ecce eam nunc infelici calamitatem objici pateris, ut cum aras, focos, civium meorum vi-

G 3

tam,

tam, ipsam quoque, quæ hæc vitâ carior, jucundiorque est, libertatem tibi maximè debeam, te vidua & orba deseram: Ecquem ego desererem? Tu, tu me dereliquisti & fortunæ violentiam effugisti: Mirum hoc vulnus, hic dolor meus est! Te ereptum quiritatur Cancellaria mea, tribunal tristatur: vestras quorum cura non demandata mihi, sed innata est, doleo vices, Ecclesiæ & Scholæ præsidia, doleo in dolore ex REINHARDI mei obitu devorato! Dolebit mecum universa patria, in tantis fluctibus te moderatore me esse destitutam, quid aliud, quam Numinis divini iram, mei ruinam arbitrer? Moveat saltem, pergit Resp. Consul pietissime, moveat soboles tenerrima mea, Gymnasium dico squalidum & tanquam amisso parente orbatum, quam saltem non Dominum, sed Patronum, non Consulem, sed patrem amissum singultans conquerratur,

Si quid difficile est, certè de pectore patrem.

Difficile est patri pellere posse suo!

lessus tui erat principium in funere VICTORIÆ filia.

Si quid difficile est, certè de pectore natam

Difficile est nata pellere posse suo!

luctus mei sit complementum, tuo ô Pater REINHARDE, in funere, inquit Gymnasium.

Si qua unquam memoriam, addit Schola, sui partus delere mater poterit? Si ventris ipsa sui oblivionem imprimere: Tu REINHARDE tamen summa voluptas & præsidium meum, nunc cœli ornamentum, nunquam, nunquam ab animo meo discedes.

Tu

Tu enim Consul vigilantissime, cum videres, quantum in Rep. tuâ momentum haberent Scholæ, ne DEI auxiliante, procreari, rebus omnibus necessarijs instrui, ali, conservari, & quod caput est, in studio cultuq; pietatis virtutum ac literarum Sancto sincero perducere curasti. Si quæ virtus, si quæ doctrina ex meis uberibus in alios redundavit, auctor & causa tu fuisti. Quotannis quod alumnos meos libris pluribus exhilaro, beo Legato tuo cum Ecclesia, & ego acceptum refero.

Tu primus ex clarissimo REINHARDORUM sanguine instaurator parietum meorum extitisti. Tu primum meum lapidem posuisti! Tu Gymnasiacum gubernaculum non repudiasti! Tu subcellia mea magnifica reliquisti! Honore Professores meos affecisti maximo. Doctrinas & præcepta illorum approbans conservasti, publicos actus meos illustrasti: literas & virtutes meas veneratus es: ó divinam tuam erga me benevolentiam! quam cum contemplaretur Respublica, deprædicabat, admirâbatur tribunal, ipsamet adorans cum stupore intuebar hæsitabunda. Quorsum vero splendor & solatium meum recessisti? Nunc ego miserè Schola te patre orbata sum, eâ tepestare, quâ patris maximè indigebam: Quo igitur relicta proles me convertam? quos rebus meis patronos, quos curatores invocabo? Sed!

*quid attinet singulorum singultantium statum
infandum renovare dolorem?*

quo-

quoquo enim modo ijs cum REINHARDE desideratissime agitur, tu felix es, beatus es!

Nutat undique religionis puritas, mutat consiliorum in Curia sanitas, in reliqua vitâ morum & actionum honestas flaccescit: Instat adversarius superstitiosus, superbus, qui hæc tecta, has aras, hos focos, quos æternitati Musarum DEUS servavit hætenus, suis abominationibus destinat: Tu ergo ô DEUS protege nos, prohibe insidias, quibus undique sumus vallati & circumdati: exhauri vastissimas syrtes & charybdes, quas in incidimus. Succurre nobis DEUS Clementissime, omnia eaque præsentissima ominosa arce, refarci, pluresque nobis re ipsa, nisi nomine REINHARDOS Syndicos & Consules nobis substitue!

Esto nobis in protectorem omnibus, & in locum refugij tutissimi: exue nos hoc & omni alio deinceps luctu & mærore, pax & tutela nostra, facque nos salvos & vegetos! fiat! fiat!

DIXI.



CHRO-

CHRONODISTICHA.

CLare Vir è VIVIshoC CLIMaCterICVs annVs
Te tVLIt heV! VItæ Mater at antè Dabat.
Te LIpsa attraXIt stVDiosVM grata, retraXIt
DresDa Vbl praXIs aDest LVX reqViesqVe tIbl.
DoCtor es & CLares ConCelsâ De BaslLeâ
Patria Donabat, SynDICE, Dona tIbl.
HInC aCCepta tIbl, tIbl Costa RebeCCa MInIstrat
DanDo SenatorI Vota DVCentâ noVo.
Prætereâ posthæC SeniorIs MVnVs aDeptVs
SCeptra ManV tIbl sVnt, CõsVL Vt eCCe CLVIs!
Es CaMeræ præses, qVo VIX est DignVs honore
IVnlor, Vt CensVs reX, MoDerator InIs.
NataLeM AVgVstI Do si fors nosse Laboras
IoVa DIV ILLe hæres VIVet aMetqVe plos!
GaVDIa fICta gerIs, qVla parVo teMpoRe perstant,
NaM tIstIs ConIVnX Deproperanter obIt.
Annon DesIgnat VICtorIa nata parenteM,
ScD Misere tIstI sorte Cltata perIt?
En sæVV's roseo properarat ab axe SebastVs
Et Christoph Reinhart fluit agone DkM.
IoVa rogo, Latâ reqViescat CorpVs In Vna;
Ast anima In CoeLo seCVLa Læta trahat:
DoneC perpetVo rIsVs InngantVr, & astrIs
perManeant totâ prosperitate pIIs.

Condolens faciebat

VALENTINUS GÖTZIUS.

H

QUANTA

Quanta mali seges est Mulhusinum sparsa per agrum,
 Confregit nostram quanta procellaratem,
 Hacenus ô cives, qui fletibus ora rigastis,
 Membraq; qui geritis pressa dolore gravi!
 Non ego bellorum fremitus & classica Martis,
 Et quæcunq; trahunt damna nefanda loquar:
 Hæc tantum referam quæ incommoda mœnia tangunt,
 Et quæ cor lacerant urbs Mulhusina tuum.
HELMSTORFFO haut satis est privari consule, digno
 Vivere Nestoreos, ob sua dona, dies:
GISLERI rumpunt **REINHARDI** stamina Parcæ;
 Vix ubi contegeret consulis ossa solum!
 Hi revocare gradum quia non potuere remoti,
 Quiverit aut cineres rursus animare dolor:
 Iudicio justi sunt hæc commissa Jehovæ,
 Terrigenas nasci qui jubet atq; mori.
 Sed dolor ex aliquâ fuerat dum parte levatus:
 Gratam sperabas patria mœsta vicem,
 Ecce (sed eloquar an fileam? vox faucibus hæret!)
 Ecce iterum luctus causa propinqua novi!
CHRISTOPHORUS REINHART, Consul, Themidosq;, Sa-
 Syndicus, extremum claudit in orbe diem! (cerdos,
Pieriâ Phœbus cui cinxit tempora lauru,
 Fluxit & eloquij gratus ab ore sonus;
 Quo non aut gravior fuit aut præstantior alter,
 Cui princeps patriæ cura salutis erat.
 Hinc dolor, hinc iterum stridet sub pectore vulnus,
 Inq; sinus liquidæ decidit imber aquæ!

Cor-

Corporis ipse quidem fragili compage solutus,
 Fit Paradisiacis hospes amatus agris:
 Ægrè nec ferimus: sed nos sine patre relictos,
 Hoc malè-tranquillo dispositoq; statu:
 Hæc est materies & vis animata doloris,
 Hoc Deus ex rutilâ corrigat arce malum.
 Votivo hoc igitur maectamus carmine manes;
 Supremum dantes funeris officium:
Molliter ossa cubent diris exempta periculis
Sit mens aternâ sede recepta poli.
In Chaos antiquum recidet cum machina mundi,
Summaq; cum terris fulserit illa dies
Tunc se mens iterum miscabit corpore vivo
Et vitæ capiet gaudia summa nova.

M. Bernhardus Grauer ad B. M. V.
 Diaconus.

LESSUS
 GYMNASII MULHUSINI.

HEi mihi! CHRISTOPHORI REINHARDI in funere
 sentio, vix dubiâ cum ratione, meum. (funus
Tigna soluta mihi; Trabs mora; elisa Columna;
 & si non nunc est, ipsa Ruina propè est.
 Dicite Apollinei mœstissima pectora cœtus,
Induperatorem vestrum obiisse diem;
Vobis Patronum; Sophia vixisse Parentem;
Consum, Pretorem, Principem, Amicum, Animam.
 Curia quid vicina tibi est? Ego sentio mortem.
 At tu quæi possis vivere sana satis?

H 2

Quei

Quæ possis, inquam? Cui sveto in honore sacellum,
quo *Pietas, Virtus, Pax* sonuere, tacet:
Curio cum legum tabulis, cum sortibus urna
cui perit, aut nimium præcipitata jacet.
Adflete! *ô Cives!* adflete insigne cadaver;
adflete *ô Juvenes;* flete *Viri* atque *Senes!*
Plura velim; sed *plura* negant quassata mihi intus
viscera, vel metuens solvi in agone *Anima.*

Interprete

M. Georgio-Andreas Fabricio, Poeta Cor.
Cæs. Gymnasiarcha.

Vidistis, *Cives,* lacrymosæ lumina *matris,*
cui, tralatitio nequicquam funere, *natos*
Morta feris omneis sicellicibus abstulit una
Vidistisne genas rubicundâ aspergine fædas,
famina si qua suo doluit viduata *marito?*
Sic vultus, sic ora gerit pia *Patria,* pallâ
cinctâ dolorosâ, ferali sindone cinctâ,
falsaque turgidulis impellens lumina guttis.
Ah *Proceres!* nostræ jam *murus abeneus urbis:*
Ah *Cives!* *Patria Pater:* & lethale feretrum
accipiet cinereis, æternos vivere dignos
annorum tractus, & aprico germine dignos.
Nec sat erat pridem tristi decorare sepulcro
GISLERUM REINHART, & quem *Mulhusina coronavit.*
HELMSTORFUM superasse sibi per secula noscet:
SYNDICUS his nostræ celeberrimus additur *urbis*
CHRISTOPHORUS REINHART, Consul, Themidisq; Sacerdos
Latoi

Latoi decus & vestrum sacra cura Camena!
Quid tibi nunc animi? quam saevo Urbs vulnere laesa es!
Quam nimis haec triplicem jactat jactura Senatum!
Quamq; dica spoliem ferit haec jactura sacratam!
Nil nisi triste sonant jam Curia, Tempia, Scholeq;
attonitaeq;ve stupent: ducunt suspiria meste
Religio, Evnomie, decimâ cum Pallade Musa,
trina cohors Charitum, Vigilantia, Svada, Lepores,
& vultus gravitas lactis promulsidae tineta,
Dexteritas, Sophie. Sed Noster morbida terræ
pondera deponens, maculis caritura repente
substituit; requiemq;ve piam, pacemq; litatâ
emtam animâ Domini, seræq;ve intermina metæ
alterius Vite nunc-civis, gaudia sentit.

O benè sic Sacris fuit invigilare libellis!
O benè sic chartis fuit impallescere totum,
Juridicina tuis, castosq;ve evolvere Vateis!
Interea ô CONSUL molli requiesce cubili,
ossaquè sancta premat facilis sine pondere terra;
Vosq;ve mihi æternum Manes salvete beati,
æternumq;ve valetè!

Patrono-olim bñ. Fund.

Georg. Engelhardi LL. St.
& P. L. C.

Quam lugere meum! cecidit REINHARDIUS ille,
Quo non ingenio clarior alter erat.
Quam lugere meum! moritur REINHARDIUS ille,
Scevola consilij, Servius ore novus.

H 3

Quam

Quàm lugere meum est! obiit REINHARDIUS ille,
Qui decus & Patriæ gloria Totus erat.
Ab lacrymosa dies, ab lamentabilis hora,
Qua perijt Clarij duxq; paterq; chori!
Origor! ô FATI lex plusquàm ferrea! tollens
Quoslibet è mediò ducis ad astra poli.
Proh facinus! Superis nonne est modò numen? an audeat
Pareat quoquè invitis rumpere fila Deis?
Invitis eqvidem Diis stamina rupta videntur;
Numina sed summi sic statuere Jovis.
Sic visum est Domino: sic stat sententia Jhovæ;
Cujus ad arbitrium subdita cuncta cadunt.
Dignus erat Pylios ut viveret ille per annos,
Cum posset multis utilis esse diu.
Aulicus at cœli factus nunc consilium dat
(Consilium Patribus qui dedit ante) Jovi,
Illius haud igitur, sed nostros lugeo casus;
Nos fera damna manent, vivit is atq; valet.
Nos premimur bellis, pacem videt ille beatam;
Nos inopes, fruitur pluribus ille bonis.
Ossa tegit tellus cineresq;: sed inclita Fama
Nominis haud ullò stat violanda die.

Ex meritâ observantiâ; meraq; condolentia
Scripta à Cliente

JOHANNES GRABIO.

CLara iterum cecidit Mulhusæ stella! severa
Quæ fila publicæ rei

Tan-

Tandem ergò necis Lachesis? dira omina numen
Averte ter sanctissimum.
Tela manu violentum urbi minitanti fatum,
ô tela numen ponito;
Aut eadem doleat Mahometus, & ultima mundi
Quæ littora hostis incolit.
Nam tu, jam mœsto vultu quæ Patria terram
Spectas, vide Æolus polo
Atlas quot nubes cogat; SOL OCCIDIT, illas
Quæ diluebat antea:
Quiq; serenabat Lædæum ad Castora coelum
Præcessit hunc Diespiter.
Sidera sub terris cheu dein plura morantur,
Benigna luce olim tibi.
Hostilem Martis mihi vultum respice, frontem
Senisque falcati vide.
Æquius haud unquam cineres pia pignora patris
Certò planxere emortui,
Patria quam plangis nuper tibi lumina adempta;
Et lumen hic erat tuum,
Quo lucente ingens per multas splendor in oras
Affulsit exteris tuus:
Quo referante bonis Themidos secreta patebant,
Crepante mox dabat fugam.
Anomie mala merx, invadens dente superbo
Profana sacraq; omnia:
Huic Heliconiades lymphas è fonte salubres
Suo hauserant; huic Cynthius

Et doctam

Et doctam dederat citharam, dederatq; decentem
Amabiles laurum comas.
Qui nunc ecce suos vulsu, cultuq; dolores
Produnt aperte, en aspice
Adrastra suos ut terra figit ocellos
Machera vibratur minus.
Aonię, ad numeros solitos cessante choręa,
Ad moesta plangunt littrora.
Latens tristes elegos meditatur Apollo
Ad busta cultoris sui
Lugent hi tecum, mea patria, lugeo tecum,
Ego lumen extinctum spei.
Janxerat hunc sanguis mihi, junctus at ille favore
Musis erat magis meis.
Ergo dolent merito, defunctos marmore manes
o suscitare si queant!
Frustra hoc tentatur; non est sanabile filum,
Quod rupit Atropos semel.
Quod possum, ergo tuis, o dilectissime semper
cognate, manibus lito.
Ergo tuis mollem requiem precor ossibus, usque
Dam judicis sonat tuba.
Interea *MULHUSA* tamen sua lumina habebit,
Reddetque ei soles *DEUS*.

Mæstitia plenus fundebat

JENÆ

Hermann Reinhardt LL. Stud.

PLAN-

PLANCTUS
DISCIPULORUM QVORUNDAM
GYMNASII MULHUSINI.

ELoquar an fileam? quid sit, mea dicito lingua.
Ah moritur subito, qui modo vivus erat!
Heu, populum summus patriam bene Consul in urbe,
REINHARDUS moderans mortuus ecce jacet!
Vivere dignus erat Pylij qui Nestoris annos,
Invida mors, illum mox rapit atq; necat.
Urbs Mulhusina tuum modo lumen, fortis & Atlas
Qui fuit, ah duram morte petitus obit!
Ergo tui totam da luctus signa per urbem:
Orbaris fulero praesidioq; tuo.
Alma Themis, nostrumq; Lyceum plangite acerbè,
Vestrae quod jaceant delitiae atq; decus.
Omnes hunc lugete boni, juvenesq; senesq;
Ampla tenet spacio quos Mulhusina suo.
Non est de nihilo Proceres si mors rapit urbis,
Iratum nobis cernimus inde Deum.
Sis Deus in medio nostrum, procul aspera pellas
Bella procul, casum restituasq; novum.

Christophorus Urbach. Mulhusinus.

EHeu! ah! REINHARDUS obit! Reinhardus o ille!
gloria Juridici Laurigerique chori.
Occidit heu magnum fulcrum Patria, & Caput urbis!
Occidit heu nostra firma columna Scholae!

I

Syn-

Syndicus & Consul; Patria-pater; optimus Atlas
In medijs turbis funere mersus obit.

Alta columna tibi subducta est Curia; causa est
(Id DEUS avertas!) si domus ipsa ruat.

Consulis effertur funus non-Consulis: urbi
Prodesse ulterius nam Libitina vetat.

Vos cives lachrymis totum emulgete cerebrum!

Ite & pulmones egerite in gemitus!

I Mæcenat: desle musaa juventus!

Patroni: tristi prosequere elogio!

Ite, ite in tristes numeros, inducite lessum.

REINHARDUS flendi semina digna dedit.

Sed quid? num fletus superas revocabit in auras?

Nulli unquam fletus restituent animam.

Flere decet; sed & esto modus: Divina voluntas

Sic voluit, jussus est Omnipotentis Heri.

Res perpeffa quidem, sublato hoc, Publica damnum:

Vivit adhuc damnum, qui levat omne, DEUS.

Interea sancti Manes, salvete, valet

aternum! in terris fama perennis eat!

Sit bene REINHARDO! victrix post funera vivit

Laurea juridici; Purpura laurigeri!

Mærens

adposuit

Joachimus Blæsingius VVchen-
danus.

Clara

CLARA LUX! quæ te rapuit repente
vis manu? extingvens radios nitentes?
Ah jaces altè piccis sub umbris
pulvere tecta?

Nec tibi parsit cita mortis ala?
Heu cito quanto citius! corusco
Antè qui claræ fidei nitore,
cuncta regebas.

Te Scholæ, te templa gemunt, columnæ
Curia plangunt: citò cur relinquis?
quidve nos spernis bona lux? recedis
lumine claro?

Non placet durè premier maligno
post Getâ? Sic est. Jaculo truces post
non nocebunt. Transcat asper hostis,
atq; sagitta.

Te malis his eripuit Jehova,
alta qui cœli regit astra fecit,
pulvere ut parvò placidè quiescant,
pallida membra.

Ergò nunc mollem capiant quietem
membra, dum fossâ salient, suprema
Angeli eum vox resonabit alto
grandis Olympo.

Johannes Eberhardi Schönstadiensis.

Heu! quis tam subitò ferire nostras
cœpit mœstitiâ refertus aures
I 2 rumor?

rumor? quis dolor est? quis ejulatus?
Eheu Mulhusiæ Columna gentis
REINHARDUS cecidit! subire bustum hunc
atrox dum Lachesis coëgit atrum,
vitæ fila secans, feroce morfu.

ô rumor nocuus! maligna fata!

Ergo Pierides dolete tristes
REINHARDI exuvias, chori celebre
qui vestri decus, & perenne lumen,
vixit. Nam viguit salus per ejus
maurorum, vigiles, scholæq; curas.

*Nimirum egregiâ polius arte,
cumq; hoc arte rudis, viam tenentur
æquis sumere passibus per umbras.*

Johannes Mylius Northus.

CArbone dignus hic dies notarier,
exortus infeliciores sidere;
dicendus omnibus noverca durior.
Eheu acerba lux! eheu acerbior
vix orta seculo priore civibus,
nec quæ fuit dolenda subditis magis.
Nam dente Saturni resectus improbo
occumbit (heui durum!) citissimâ nece'
REINHARDUS, hac in civitate Syndicus
& Consul gerens honesta nomina:
Quem prima commodi Rei-pol-publicæ
semper tenebat cura. Splendor & decus

Legum

Legum sacrarum, fulgidumquè Patriæ
fidus: bipartiti eluens doctissimus
JURIS peritus. Phœbus & Pieriâ
lauru cui cinxit caput. Sævissima
heu fata! cur non parcitis lanificæ
Parcæ viro sat omnibus charissimo?
Est quod fleatis subditi: mutescere
videtis os vestræ supinum Curiaë,
nec amplius petita posse proloqui.
Preces DEO creberrimas effundite,
ut ipse Syndici casum resarciat.
Est quod fleatis acriter Pierides:
nam fidus hic Achates amplius nequit
favere vobis, & suo præsidio
prodesse. CHRISTE cæteros perenniter
Musis reserva sospites promptissimè!

*Martinus Wanderslebii Rockensuf-
seranus.*

PROH hominum genus è mortali stirpe creatum,
Quàm miserâ nati conditione sumus!
Vita quid? est certè consternens pectora mœror:
Vita quid? est undans heu dolor atque labor.
CHRISTOPHORUS subitâ REINHARDUS morte recedit,
Tempore qui longo vivere dignus erat,
Qui splendor Patriæ, Musarum gloria, nostri
Gymnasij Inspector, qui decus Urbis erat.
Hunc ploret Mulhusina cohors, hunc lumine cassum
Curia, Gymnasium, lugeat ipsa Themis.

Hanc Proceres plorent, inter pars optima Cives,
Paganus simplex & gemat atque fleat,
Richardus verò noster migravit, & inter
Coelicolas habitat, spectat & ipse Deum.
Hic nullus premitur fatis, & rebus iniquis
Exemptus, coeli gaudia vera capit.
Non lugere necem defuncti CONSULIS atram,
Scilicet absque Dei numine nullus obit.

Johannes Sidelius Cölledanus Thürigeta.

Vita quid est? dolor est, multorum Lerna malorum,
Tristis ad extremum sollicitudo diem.
Vita quid est hominis? Nihil est, nihiliq; putanda,
nam redit in nihilum quod fuit ante nihil.
O utinam, atq; iterum, ô utinam, Clarissime Doctor,
exemplio haut reddas ista probata tuo!
Ex improvise verum, sapientibus annis,
degustasti, cheu! pocula mortis aquæ.
Ergo Urbs cui fecit Domus & mola proxima nomen,
pectora luctificò plena dolore gerat.
Publica se totam in luctum res solvit acerbum,
exoptatq; suum voce gemente caput.
Triste Ministerium luget, flet Civicus Ordo,
& Gnato & Famulis commaduere genæ.
Ipse etiam doleo, Doctorem Tequè requiro,
Gymnasio quoniam vela secunda dabas.
Sed nil proficimus lacrymis. Divina voluntas
sic facta est, vires exseruitque suas.

Sicut

Sic etenim Domino placuit, sic facta, supremi
Nōmina, per seclum sint benedicta DEI!
Semper honos, nomenq; tuum, laudesq; manebunt,
Talis enim merces, qui labor, esse solet.
Spiritus inque manu Domini tuus, æthere celso
nulla ubi cura Tibi; gaudia mille Tibi.
Gaudia non oculō percepta, nec aure cuiquam
nec fingi tacitā qvalia mente queunt.

*Nicolaus Hartmann. Plavio-Schwartz-
burgicus.*

TRistior ante ante diem rumor perterruit urbem:
Proh subitō casū firma columna ruit!
Firma columna ruit, quā curia tota quievit,
Quaque salus urbis fidere visa fuit.
Quid Clotho, Lachesis quid & Atropos hisce minaris
Urbem orbare viris hanc meritis gravibus?
Portentum infelix, quō non est tristius ullum,
Curia præcipuis quodruat ipsa viris.
An bonus hic Genius tacitè mihi vellicat artem,
Nescio; res rerum consulit ista patrem,
Hinc cognata cohors lacrumarum flumina fundit,
Hinc muliebri decus pulla recæque tegunt.
Curia flexanimo deflet mœstissima luctu
Funera præclari naufragiumque viri.
Tristis alumna cohors emulget lumina fletu
Fataque prosequitur carmine tristitiæ,
Heu mihi quōd clarus clarā virtute politus,
Quem Doctoris honos aureus ambit, obit!

Chri-

Christophorus Reinhardus alumna columna Lycei.
Heu mihi quòd tactus guttulâ abit subitò!
Christus ad æthereos hunc iussit scandere sedes,
Curia cœlestis nunc capit huncce virum.
Nullus Christophorus mortem gustabit acerbam,
Qui mitis Christi suave jugum tulerit.
Syndicus iste Deo *quod dicitur* reddidit almo,
Nos quoq; depositum reddere tempus erit.

Elias Erasmus Muelich Arnstadenfis.

SINDICUS OS NOSTRUM EST. nimirum prapete pennâ
in versu scripsit sic Pater ille meus.
*Si manifesta fides probat hanc in Carmine laudem,
expers os lingvæ jam gerimus modulis.*

Henning. Gotfridus Fabricius,
Göttingensis.

FINIS.



MULHUSI,

Typis excudebat JOHANNES STANGIUS,

ANNO CHRISTI

CL. LCC. XXX.

Et **dominus** **procepit** **eis**
omnia **via** **domini**

Et **dominus** **procepit** **eis**
omnia **via** **domini**

Et **dominus** **procepit** **eis**
omnia **via** **domini**

Et **dominus** **procepit** **eis**
omnia **via** **domini**





DESIDERII M
VI
MAGNIFICI, AMPLIS
DOM

CHRIS

REINHARD J. U. D
CORONATI CÆSAREI, SY
Imperialis MOLHU

AN
QVI MAGNIS PLU

In vivis esse desiti,
Voc

In Panegyri Procc
M. JUSTI SCHI



3

